POTIORES

# PHILOSOPHIAE RECENTIORIS CONTROVERSIAE

PVBLICE EXPOSITAE

IN

ATHENAEO GEDANENSI

A

MICH. CHRISTOPH. HANOVIO

PHILOSOPHIAE PROFESSORE ET BIBLIOTHECARIO.

LIPSIAE,

APVD JOANNEM FRIDERICVM JVNIVM.

MDCCLXV.

# PROLVSIO.

Prout ſons omnis veritatis, intellectus divinus eſt immutabilis & unicus: ita & omnis rei cujusque Eſſentia, cum ſuis attributis mutabiliumque captu, pariter unica eſt & mutari neſcia. Idcirco & cognitio rei congrua, vel veritas cognitionis ejus, nequit eſſe niſi unica & conſona inter ſe apud omnes, eam uti reapſe eſt cognoſcentes.

Quod & per principium repugnantiae aliter ſe habere nequit. Variat autem modus cognitionis, alias obſcurus; alias clarus quidem, confuſus tamen; alias diſtinctus, & tum gradibus diſtinctionis, tum notarum diverſitate, ſed inter ſe conſentientium, differens.

Erronea autem & falſa cognitio non poteſt non eſſe numeroſiſſima, plurimisque modis a re ipſa ſic diſcrepare, uti curvae viae & ambages innumerae a recta aberrant. Philoſophorum eſt, veritatem rationi perviam in re qualibet ſectari, & a falſis opinionibus erroribusque liberare, cum ſola veri cognitio & ſtudium

ſtudium felicitatis privatae ſalutisque communis humanae baſis immota deprehendatur, errores autem ab ea abducant, nec poſſint non nos reddere infelices.

Tribuentes igitur veritati a Deo ortae, quod ſuum eſt, non poſſunt non interdum uſitatiorum controverſiarum potiores eum in finem attingere, ut animi ſtudioſorum, quid aera diſtent lupinis, quidve falſa a veris, mature diſcernere diſcant. Facile enim fucus fieri poteſt ſpecioſis contortisque concluſiunculis tironum ingeniis, momenti, analogiae nexusque veritatum ignaris,

dum rationes contrariae diſſimulantur, vel nullius momenti eſſe credulis perhibentur.

Ita ipſum repugnantiae principium hoc ſuco poteſt tironi ſuſpectum reddi: Per illud contradicentes ſententiae ambae nequeunt eſſe falſae. Sed hae ſententiae: omnes ſubſtantiae ſunt finitae, & quaedam ſubſtantiae non ſunt finitae, ſunt contradicentes; neque eo minus ambae ſunt falſae; quia per illas aut nulla daretur ſubſtantia infinita, aut plures darentur infinitae. Ubi perperam numero plures ſubſtantiae ſumuntur, ut ſibi contradicentes: cum vere contra-

dicant ſibi tantum hae enuntiationes: omnis ſubſtantia eſt finita, & non omnis ſubſtantia eſt finita, vel quædam ſubſtantia non eſt finita. Ubi ſi plures infinitae dari nequeunt, uti in Theologia naturali demonſtratur, haec vera eſt admittenda: unica ſaltem (Dei) ſubſtantia non eſt finita.

Sicut Cel. *Werenfelſius* non inanem ſumſit operam *de logomachiis eruditorum* antiquiorum diſſertatione luculenta edita; ita enata occaſione A. 1748 in *Diſputationibus* hebdomadalibus *potiſſimum metaphyſici argumenti* ad Philoſophiae noſtri aevi decus pertinere

credidi, ſi quantum poſſem laborarem de promovenda verae philoſophiae concordia, diminuendaque diſſenſione recentiorum.

Cumque Ao. 1761 controverſias recentioris Philoſophiae theoreticae, a me docendae, publicis horis breviter auditoribus tradendas aggrederer, nec quae Scopo meo reſpondebant in Clar. *Baumeiſteri Philoſophia recens controverſa* reperirem, uti cuilibet, ab ipſo edita cum hisce praeceptis collaturo, manifeſtum fiet: ad epitomen hanc concinnandam ſum inductus; quam nunc rogatus quoque aliorum judiciis, uſibus,

bus, amplificationique permitto, haud gnarus, quam ſim in ſeptuagenaria ætate vitae fini propinquus.

In Theologiae naturalis controverſiis Cel. *Canzii Meditationibus philoſophicis*, tum in manus venientibus, paſſim uſus ſum, quod neſas foret diſſimulare. Adverſariorum nominibus plerumque peperci, non hominibus bellum indicturus, ſed veritati unice litaturus, ut qui nolint ſe ipſos prodere, latere commode poſſint, & veluti ſponte ſua, quae intelligent, meliora amplecti. Ne tamen fingere viderer controverſias, ubi nullae ſunt, raro nomina quædam

dam ſcriptorum mortuorum typis exſcribenda dedi, in explicatione alios, qua fieri oportuit modeſtia vel nominando, vel quadantenus ſubindicando, non deeſſe, qui ita adhuc ſtatuant.

Practicae Philoſophiae controverſiis brevitate ſimili enarrandis num vita ſit ſuperfutura, & rationes occurſurae, auditoribus meis iſtas proponendi, certum necdum habeo, ſed futura reſervo opportunitati providentiaeque divinae.

POTIO-

POTIORES

# PHILOSOPHIAE RECENTIORIS CONTROVERSIAE.

## CAPVT I.

*Sistens Controversias praecipuas de Philosophia in genere.*

§. I.

Deturne vera, an tantum apparens hominis felicitas, non nisi in opinione hominum, quamlibet erronea sita, non potest esse dubium, nisi insania captis, aut necdum omnino liberatis, aut data opera confundentibus vera cum falsis, ideoque, ut his occurrant, satyrice tantum talia carpentibus.

§. II.

Scientiam felicitatis huius vitae dari posse & actu dari nequit negari, nisi ab omnis scientiae

ignaris hoſtibusve. De illis, qui infirmitatem intellectus humani tantam fingunt, ut nihil ſciri poſſit, niſi forte hoc unum, quod nihil ſciatur, infra agetur. Socratis modeſtia huc male detorquetur, quae ſcientiam minime negabat; ſed partim ironia exagitabat ſciolos perperam ſibi ſuffenos, partim a faſtu revocabat turpi. Nec meliora proferunt, qui tantum e ſacris litteris felicitatem diſcendam eſſe vel ſubdole vel erronee ſciſcunt.

§. III.

Quum ſapientia ſit ſcientia felicitatis huius vitae, & Philoſophia ſtudium ſapientiae; felicitas vera autem ab omnibus appetatur, ideoque quaerenda ſit, una cum eius ſcientia, pateſcit, Philoſophiam genuinam dari, & cupidis felicitatis verae eſſe diſcendam docendamque. Aut enim inſipientiae eſt ſtudendum, aut ſapientiae: illud foret abſurdum, nec redderet nos niſi infelices. Ergo hoc nobis incumbit. Quando Philoſophia, ut ſcientia poſſibilium, quatenus eſſe poſſunt, ſpectatur, in homine perfecta non datur, in Deo tamen habetur perfecta ſapientia, quae hominibus ſectanda eſt, quoad vires patiuntur & officium requirit. Sciendum enim quoque eſt, quae in Deo & per Deum eſſe poſſint.

§. IV.

Recte diceretur, pleroſque homines non eſſe Philoſophos, ſeu ſapientes; male autem nihilominus

minus dicerentur felices, vel veris Philoſophis feliciores. Aut enim opinata tantum felicitate decipiuntur, qui hoc ſtatuerent, aut, quatenus vera felicitate gaudent, eam debent Philoſophiae naturali, licet imperfectiori & vulgari, aliorum educatione, inſtitutione & exemplis comparatae, propriisque erroribus perſpectis utcumque emendatae. Verior enim, ſolidior perfectiorque felicitas naturalis non niſi genuina obtinetur Philoſophia. Ita ſolus ſapiens felix eſt, &, quo quis ſapientior, eo merito felicior dicatur. Sapientum quum non niſi pauci ſint, ut ex eorum numero ſimus, ſtudendum eſt. Plurimi enim homines ſunt inſipientes; ideoque infelices, jam in hac vita, etiamſi futurae nullam habent rationem.

## §. V.

Si homines dicas innumeros fuiſſe felices & beatos ante inventam Philoſophiam, quae Graecorum & Pythagorae ſit commentum: diſtingueremus inter Philoſophiam theoreticam, eamque in ſyſtema redactam, & practicam, reapſe a longaevis exercitatam ab iis, qui felices fuere, & utilium artium inventores. Teſtaremur hiſtoriam diluvii, a plerisque promeriti eius neglectu. Daremus, nomen tantum a Pythagora fuiſſe adhibitum, non rem ipſam. Neque tamen inde colligi poſſet, nunc quoque nos veritatibus philoſophicis carere, & ſuperſedere poſſe: quia olim illae fuerunt ignotae. Valeret idem de omni nova arte & veritate.

§. VI.

Sine genuina Philoſophia nudus uſus facultatum mentis non obſtat, quominus & ſingulares homines inter feras adulti, & gentes integrae ſint rudes, barbarae, & vel omnis, vel ſaltem melioris, maiorisque felicitatis verae expertes exſortesque. Extra commercium hominum adulti ferarum ritu egere, quae, quum felices dici nequeant, ipſi quoque omni felicitatis notione, ſenſu fructuque caruere. Poteſt beſtiis, ut beſtiis, in tali ſtatu naturali bene eſſe; neutiquam vero homini, ad multo ſubliimiora deſtinato. Vſus plebeiae rationis quidquid boni habet, quanquam parum admodum id ſit, tamen non eſt, niſi ope vulgaris Philoſophiae acquiſitus. Quo uſu caruere inter feras adulti.

§. VII.

Quo maioris felicitatis cupidi ſumus & compotes fieri optamus, eo diligentius ſapientiae adquirendae exercendaeque opera eſt navanda, §. IV. Sed, qui eruditi fieri, videri, & eſſe volunt, illis propoſita eſt & eſſe debet praeſtantia felicitatis tanta, quanta viribus humanis haberi poteſt, quaque inter caeteros homines emineant, non vana oſtentatione, ſed re ipſa. Quam ut adipiſcantur, ſtudere diligentiſſime debent, ut inter caeteros ſapientia theoretica & practica excellant, tanquam magiſtra omnis felicitatis, ſummae quoque in hominem cadentis, §. III. Qua in diligentia optimum eſſe tenendum modum

ſimul

ſimul docet ſapientia, ne vel exceſſus vel defe-
ctus noceat ſcopo obtinendo.

§. VIII.

Opus eſt Philoſophia *primo* philologis, ſive
Grammatticam doceant, inter quas philoſophica
excellit; ſive rhetoricam, vel oratoriam, quam
ipſe Cicero ſine philoſophia dari negat; ſive
poëticam, quae, aeque ac rhetorica Ariſtotelis,
& praecepta, quibus nititur, philoſophiae ortum
debet. *Secundo* hiſtoricis & criticis veritatis ſtu-
dioſis, vera a falſis, a genuinis ſpuria internoſci-
turis, ſecundum regulas fidei, adfectus procul
habituris, & optime perſpecta narraturis. *Ter-
tio* Philoſophis & Mathematicis, a verae quanti-
tatis natura non aberraturis, aut imaginariam
tantum ſpectaturis, contemtumque reliquarum
ſcientiarum prodituris. *Quarto* Medicis & Chir-
urgis, quorum ſcientia & ars omnis potiſſimum
Phyſicae ſuperſtruitur, ideoque & reliquis indi-
get philoſophiae principiis. *Quinto* Jurecon-
ſultis, quorum Encyclopaedia tota quanta juri
naturae & politicae innititur, ideoque & caeteris
philoſophiae elementis ſuam debet ſoliditatem.
*Sexto* Theologis, non ſola theologia naturali,
ſed & reliquis veritatibus philoſophicis indigen-
tibus in recte intelligendis, docendis, defenden-
disque veritatibus revelatis. *Septimo* nec caetera-
rum artium vel inventio, vel diiudicatio ſolida,
vel emendatio, amplificatio & applicatio quam
optima ſine accuratiori philoſophia ad vitae com-
munis

munis felicitatem, quanta haberi poteſt, praeſtari & continuari poteſt.

§. IX.

Obverti quandoque ſolet, Chriſtianis Chriſtum ſapientiam factum eſſe a Deo, & in ſacris litteris interdictam eſſe philoſophiam tanquam ſtultitiam coram Deo, vel tanquam inanem deceptionem 1 *Cor.* I, 19. 20-27. & *Coloſſ.* II, 4. 8. Sed ibi non agi de vera ſapientia & philoſophia, ſed de ſpuria & corrupta a vero Deo ad idololatriam abducente, contextus docet. Vera ſapientia infinita eſt Dei proprietas, & finita donum eius in homine laude omne digniſſimum, uti in Joſepho Aegyptii id agnoverunt per *Pſalmum* CV. Laudi ducitur Moſi, quod in omni ſapientia Aegyptiorum inſtitutus fuerit, *Actorum* VII, 22. Salomonis ſapientia multum celebratur, 1 *Reg.* IV, 29. ſeq. quam Nathanis doctrinae haud parum debuiſſe conſtat ex 2 *Samuel.* XII, 25. Servator ipſe perhibetur plenus fuiſſe ſapientia, & in ea profeciſſe, *Luc.* II, 42 & 52. immo Salomone ſapientior, *Luc.* XI, 31. Promiſit etiam Chriſtus Apoſtolis ſapientiam, *Luc.* XXI, 15. & Chriſtiani jubentur eam a Deo ſibi expetere, *Jacob.* I, 5. Quanquam in his potiſſimum de ſapientia ſpirituali ſermo eſt, non tamen excluditur naturalis artificum quoque *Exod.* XXXV, 30 ſqq. XXXVI, 1. 1 *Reg.* IV, 29 ſqq. & VII, 14.

§. X.

Quod *Varro* olim dixiſſe fertur: Nemo aegrotus quidquam ſomniat tam infandum, quod non aliquis dicat philoſophus, & *Cicero* ita profert *Lib. II. de divinatione Cap. LVIII:* Neſcio, quomodo nihil tam abſurde dici poſſit, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum: Id, ſi recte aeſtimatur, aut plane falſum eſt, aut ſi veri quidquam continet, de his tantum agit, qui videri, non eſſe Philoſophi voluerunt, aut ſuas ineptias pro ſcitis philoſophiae (aliorum) venditarunt. Diſerte enim Cicero ibi de his loquitur, qui ſomniis futura cerni ideo ſtatuebant, quia mens humana, tum cum externis mentibus, quarum mundus ſit plenus, coniungatur & conſentiat. Pythagoras, inquit, & Plato, quo in ſomniis certiora videamus, praeparatos quodam cultu atque victu proficiſci ad dormiendum jubent. Faba quidem Pythagoraei vtique abſtinere jubent, quaſi vero eo cibo mens non venter infletur. Vtrum igitur cenſemus, dormientium animos per ſe ipſos ſomniando moveri; an, ut Democritus cenſet, externa & adventitia viſione pulſari? Sive enim ſic eſt, ſive illo modo, videri poſſunt permulta ſomniantibus falſa pro veris. Hactenus ille. Fieri tamen poſſet, ut quaedam a Pythagora & Platone de ardua quaeſtione: Vnde futura ſomniantibus interdum ita praevideantur, uti eveniant; dicta ex errore paganorum, de divinitate mentis derivarentur, vel non recte caperentur, ſi melius illi ſenſerunt.

§. XI.

Ex ſimili fonte profluxiſſe videtur illa accuſatio: Philoſophos omnium errorum fuiſſe inventores, & philoſophiam omnium haereſium exſtitiſſe genitricem. Videatur *Henricus Cornelius Agrippa a Netterheim* in libro *de incertitudine & vanitate ſcientiarum*, *Cap. LIII.* Sed de falſitate huius criminationis non opus eſt, ut plura verba faciamus, quum partim ex dictis §phi Xmi pateat, quid ſit reſpondendum, partim beatus D. *Joecherus* edito ſcripto, cui titulum fecit: *Philoſophia haereſium obex*, contrarium evicerit. Aeque falſa eſt & haec gravior accuſatio, philoſophiam ducere ad Atheiſmum, quum peſſimi Athei ſemper fuerint acutiſſimi philoſophi. Aut enim tota falſa eſt verorum Philoſophorum inſimulatio, qualis fuit Socratis, ob damnatam idololatriam pro Atheo venditati damnatique; aut fucus atheiſmo & paganiſmo illitus ſpecie potius vana, quam revera quaedam philoſophica dogmata, ſeu in principiis, ſeu in methodo prae ſe tulit. Cui ſimile quidquam occurrit in ſectis religionum, ſcripturam ſacram obtorto collo trahentium in ſuas partes.

§. XII.

Multas dari Philoſophiae ſectas, antiquas & recentiores, non Philoſophiae eſt imputandum, ſed hominum adfectibus & ignorationi verae ſapientiae. Diſcernendus quoque eſt diſſenſus verus, qui datur in rebus ipſis, & apparens, qui

in

in verbis tantum diſcrepantibus occurrit. Sapientia a ſe ipſa non diſſidet, quando variis definitionibus explicatur; aut verbis aliis aliisque traditur ab hominibus, re ipſa conſentientibus. Si qui enim putant, res ſententiasque differre, ubi non niſi verba diſcrepant, illi ad ſummum Logomachiae rei ſunt. Cuiusmodi apparentes controverſiae tolluntur & ceſſant, quando, non niſi Logomachiam ſubeſſe, ſolide oſtenditur: Prout *Werenfelſius in diſſertatione de Logomachiis Eruditorum* multa huiusmodi diſſidia enarrat, & componit. Nec deſunt in recentiori Philoſophia logomachiae, eo tamen rariores, quo diſtinctiori cognitione & explicatione proponuntur. Vnde primo adfectuum impetu ſedato, vel ipſi auctores diſſidiorum, vel ipſis mortuis eorum ſectatores agnoſcunt, non niſi notiones & verba diſſidere. Vbi verus datur diſſenſus, ibi ſufficit, aut veram ſententiam optimis rationibus munire, aut falſam ſolide refutare.

CAPVT

# CAPVT II.

## *De Controverſiis Logicis.*

### §. XIII.

Contra eos, qui cum Eraſiſtrato neceſſariam eſſe ac dari Logicam artificialem negant, valet etiam nunc Galeni argumentum: Aut quodlibet ſequitur ex quolibet, aut non. Si illud, licebit argumentari ſic: Cygni ſunt albi, corvi ſunt nigri, ergo Eraſiſtratus eſt ſtultus. Si hoc; neceſſario dabitur diſciplina, docens, quid, quando & quomodo aliud ex alio ſequatur. Id vero nulla praeter Logicam artificialem praeſtat. Naturalis Logica fruſtra ſufficere ad omnia recte cognoſcenda ſtatueretur. Qui vero Epicuri caſtra ſequuturi Logicam ad paucas redigi cupiunt regulas, a quibus ipſe eam Canonicam dixit; illi ſe ipſos diſtincta cognitione neceſſariarum recte utendi intellectu regularum plerarumque privant, & periculo exponunt, abſurda amplectendi pro veris, verbi cauſa; ſolem non niſi pedali diametro gaudere, aut & minore. Videatur *Cicero Academicarum Quaeſtionum Lib. II. Cap. XXVIII.* Conf. *Lib. II. de Fin. bonor. Cap. VI.* Multo ineptius illi errarent, qui unicam regulam: Recte cogita, ſufficere putarent ad omnem intellectus uſum.

§. XIV.

§. XIV.

Ne inermes videantur Logicae artificialis contemtores, quum veritatis cognitionem ipsi propositam esse audiant, largiuntur, eam in se dari posse, sed eam ab homine percipi, vel humanae menti perviam esse, negant. Eam dicunt esse, cum Arcesila, rerum obscuritatem, quae ad confessionem ignorationis & infirmitatis suae nulla pertinacia nullo vincendi studio perducantur. Omnes paene veteres, Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem dixisse, nihil posse cognosci, nihil percipi; angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, & in profundo veritatem esse demersam. Opinionibus & institutis humanis omnia teneri, nihil veritati relinqui, omnia tenebris esse circumfusa. Vid. *Cicero Acad. Qu. Lib. II. Cap. XII. & XXIV.* Sed, licet recte adfirmetur mentis humanae imbecillitas in rebus captum humanum superantibus, & propterea revelandis a Deo, si nosci ab homine debent; nec non in rebus difficilibus, nec dum pervestigatis, nec facile pervestigandis; In illis tamen, quae nosse & agere interest felicitatis humanae, perperam infirmitas accusatur, quando neglectus culturae mentis, aut usus illius, vel abusus, aut oblivio mereretur accusari. Contrarium huius accusationis liquet ex tot scientiis philosophicis & artibus feliciter detectis ac in usu hominum receptis, & difficillimis quoque veritatibus astronomicis algebraicisque. Modestia Socratis assecclarumque partim ironica, partim

tim comparans pauca nota cum plurimis ignotis, praeſtantiam mentis humanae minime negat, ſed limitat, ut par eſt. Errores vero aliorum nunc non moramur.

§. XV.

Porro dicunt, nullum eſſe tale viſum a vero, & talem notam, ut non eiusdem modi etiam eſſe poſſit a falſo; nullam eſſe propriam, quae nusquam alibi eſſet, veri notam. Qua in re urgent, tantam dari rerum ſimilitudinem, ut a ſe invicem internoſci nequeant. Vrgent & viſa ſomniantium, vinolentorum & furioſorum, quibus illi perinde moveantur, ut veris, quia pro veris habent. Inde concludunt, inter viſa vera & falſa ad animi aſſenſionem nihil intereſſe. Quae pluribus legi poſſunt *Lib. II. academicarum Quaeſtionum Ciceronis Cap. XXV. & ſeq.* Fruſtra vero negatur, dari inſigne veri, quia rerum exiſtentium ſimilitudo perfecta ne dari quidem poteſt, quum idem penitus ſimul aliud eſſe nequeat. Fruſtra negatur, cognoſci poſſe rerum notas inſitas, quibus differunt, quasque noſſe homini expedit, in cuius uſum ſunt conditae a Deo: Quum vel beſtiis earum, quae ipſis conveniunt, rerum notitia ſenſibus haurienda ſit conceſſa. Qui beſtiis dedit notitiam rerum ſibi utilium, hunc homini eas diſtincte percipiendi facultatem pro modulo mentis ſuae denegaſſe, qua fronte contendatur? Cuius contrarium quisque in ſe experitur, hoccine audacter negaſſe ſufficit?

cit? Fruſtra dormientium vigilantiumque deliria confunduntur cum recto uſu animi, ſui compotis, ſani, memoris, nec per ſtatum corporis impedito. Huic enim, ut a quavis arte & ſcientia, regulae logicae praeſcribuntur, non inſaniae. Neque hactenus Logica ad morbos animi & inſolita ſomnambulorum phaenomena, & remedia detegenda ita inſtituta eſt, ut pathologia corporis medicorum; neque id deſiderandum valde videtur, quum ſanato corpore non amplius impediatur mens in operationibus ſuis.

## §. XVI.

Certam rerum cognitionem negant, qui academicorum more duo eius lumina exſtinguere nituntur, experientiam & rationem. Illam labefactare ſtudent, quando, ſenſus eſſe fallaces, per ſpecioſa phaenomena remorum infractorum, iridis, ictericorum, ipſius echus, caloris & frigoris cellarum & caetera generis eiusdem, conſtare arbitrantur, de quibus dicetur §. ſeq. Alii quoque diverſitatem ſenſuum arguunt, per quam eadem res aliis aliter, vel & eisdem alio tempore alia & contraria ratione ſentiatur. Sed hi male ſenſuum accuſant diverſitatem, ubi non niſi conſuetudinum et habituum perverſitas datur, in alteram quaſi degenerans naturam. Epicurus quidem cum ſectatoribus recentioribus ſenſus mentiri recte negat, ſed male opinatur, ſi ſemel rem ſecus, ac eſt, offerunt nobis, nullam illis amplius fidem eſſe habendam. Quod ſi recte

illi

illi tribuitur, haud melius haberet, ac si quis pedes abiiciendos illico statueret, si semel incauto usu offenderint in lapidem, aut lapsui locum dederint. Denique negant, demonstrari posse ea, quae sensu vel manifesto duce assumuntur, principia: quasi demonstratio a posteriori esset incerta.

§. XVII.

Sensuum, quas dicunt, fallacias, falso ita nuncupari, Logica evincit. Phaenomena autem rerum adspectabilium rectius, &, ut res sunt, dijudicare, docent opticae disciplinae. Inde illarum ignari perperam statuunt de rebus ipsis spectatis, non sensuum seu oculorum, sed judicii praecipitati errore. Pari modo de phaenomenis auditui (aurium) occurrentibus consulendae sunt regulae acusticarum disciplinarum, etsi nondum satis exasciatarum. Dum reliquorum sensuum disciplinae nondum prostant, partim instrumentis illis utendum est, quibus in nonnullis casibus tactui subvenimus; partim generalibus utendum est Logicae praeceptis, de genuino sensuum usu, & cautelis in eo adhibendis, tam quoad animum, quam quoad corporis organa sentiendi, ubi opus est, armanda ideo instrumentis idoneis; tandem quoad prudentiam, inde concludendi de rerum indole, viribus, causisque. Vbi generalis regula plurimum prodest; Organum sentiendi rite est constitutum, dum obiectum idem eodem modo ad illud relatum non

aliter

aliter apparet, ac omnibus ſolet, quando clariſſime ſentitur. (§. 124. *Pſychol. ration. Wolff.*) Quibus rite obſervatis, experientiae evidentia omni dubio maior manet; eaque, quae experimur, adhibitis neceſſariis rationis principiis legitime demonſtrantur, quae ipſa ſola non liquent niſi confuſe etſi evidenter.

## §. XVIII.

Alterum certae cognitionis fundamentum everſuri ſciſcunt, definitiones eſſe arbitrarias, & indemonſtrabiles, e quibus tamen ratio a priori derivari, & demonſtrari rerum cognitio ſolet. Idque comprobare nituntur, tum eſſentialium arbitraria coniunctione, tum regulis definiendi logicis, tum exemplis eorum, qui dudum & recentius falſiſſima ſibi viſi ſunt demonſtraſſe, more *Spinozae* aliorumque. Sectas quoque complures non niſi diverſis definitionibus pro arbitrio ſumtis niti & diſſidere contendunt. Harum ſpecimina philoſophica in ſcriptis Ciceronis tam ratione Philoſophiae theoreticae quam practicae occurrere non abs re monent. Redeunt haec obiecta ex parte ad notarum veri, ſaltem a priori indubiarum inficiationem (§. XV.)

## §. XIX.

Enim vero non alio ſenſu definitiones dicuntur arbitrariae, quam, quatenus inter plures aeque rei ex aſſe convenientes optio datur, praeferendi reliquis unam. Si enim definitio eſſe de-

bet principium demonstrandi, eius veritas requiritur penitus evicta, hoc est, constare indubie debet, talem rem actu dari, saltem esse posse, si nondum existit. Videatur §. 562. *&* 841. *Systematis Logici Wolffiani.* Si accurata dicitur definitio, quae omnibus definiendi regulis est conformata, ideoque omnis expers reprehensionis, vel recessus a regulis logicis: non nisi accuratas definitiones omni dubio maiores & prorsus certas esse liquet. Tales quum sunt, earum veritas a nemine rerum perito in dubium vocari potest, gaudentque notis constantibus, manifestis, nec ulli alii rei applicandis. Essentiae vero rerum nequaquam sunt arbitrariae, sed necessariae, una cum attributis & analogis eorum, vti demonstratur in Ontologia; etsi essentialia, unde constat essentia, per se invicem non determinantur; sed tamen simul eidem inesse possunt & scopi obtinendi causa inesse debent.

§. XX.

Quando experientiae definitionesque dicuntur indemonstrabiles, hoc vero sensu ita explicatur, quod nulla indigeant demonstratione, sed per se, (h. e. per eas, quas exhibent, constantes propriasque rei notas,) sint evidentes & indubiae, ut statim pateat earum veritas, modo vocabula, seu res iis notatas recte intelligas. Videatur §. 262. *Systematis Logici Wolffiani.* Revera autem dantur rationes, (§. 17.) quibus ostendi potest, experientiam liberam esse ab omni subre-

ptione

ptione, hoc eſt, eſſe veram, & indubitatam, per *§phum 985. & ſequentes ibidem.* Subreptio enim continet errorem, quo diverſa pro iisdem aut falſa pro veris, & vice verſa, habentur. Quando ergo efficimus, ut alter agnoſcat, verum eſſe id, quod experitur, & nullum illi ſubeſſe errorem; tum conſtat ipſi, experientiam illam eſſe indubitatam. Sic & definitionum veritas evincitur experientia & ratione, oſtendendo, earum notas cum connexis eisdem rei non poſſe non ineſſe conſtanter & coniunctim, nec ulli alii rei ineſſe omnes & ſolas poſſe per *§phum 948. & ſequentem ibidem.* Inde & veritas definitionis demonſtrari poteſt oſtendendo eius cum re convenientiam, vel eandem eſſe definiti & definitionis notionem eſſentiamque & naturam, niſi, quod illa confuſe, haec autem diſtincte exhibetur, per *§phum 214. ibidem.* Igitur & a poſteriori & a priori adhibita principia demonſtrandi utique demonſtrari poſſunt, & ubi opus eſt, conſueverunt.

## §. XXI.

Vt ergo certiores fiamus principiorum arduae veritatis, vbicunque fieri poteſt, coniungenda eſt probatio eorum a priori & a poſteriori. Conſenſus enim utriusque vera cognoſcendi modi omne tollit dubium, ipſumque erroris metum. Quare connubio rationis & experientiae, (quod exhibet dictum conſenſum per *§phum 1232. ſyſtematis logici Wolffiani*) utendum eſſe liquet, ubi-

cunque haberi illud in cognitione rerum potest. Comparandus ideo est habitus a posteriori investigata comprobandi a priori; & a priori detecta reducendi ad experientiam indubitatam. In quem finem excogitanda sunt consectaria sententiae, quam elegimus, explorandumque, denturne revera ea, quae inde sequi debent. Vti ex motu siderum circa axem eorum diversitas ponderis, & magnitudinis arcuum in circulis maximis & gradibus fluit, quae in tellure nostra experimentis est confirmata.

§. XXII.

Vires menti humanae concessas esse primitus, id est, in creationis statu, & suppetere etiam nunc ad salutares ipsi veritates perspiciendas, & a priori patet, & a posteriori. A priori id inde patet, quia tales vires esse possunt, nec quidquam involvunt, quod ulli repugnet veritati; porro respondent finibus Dei perfectioni & felicitati operum suorum quam optime consulentis, ut eo ipso gloria Maiestatis infinitae illustretur; denique, quia menti humanae non proficuae solum, sed & necessariae sunt, ad salutem viribus naturalibus, quantum fieri potest, consequendam. A posteriori idem liquet per inventas dudum tot artes scientiasque humanas, per earum nova subinde incrementa, in emendandis per meliora inventa deterioribus, item, in prorsus novis subinde felici meditatione eorum, quae innotuere, & ad alia applicatione detectis, & detegendis in-

inposterum; nec non per propriam experientiam, qua homines rudes ac eruditi rebus suis excogitatis, consiliis modisque aptis prospicere consuevere, recte utendo facultatibus mentis suae, quum caeteri earum neglectu vel abusu ad noxia multa, infelices se reddunt aliosve.

§. XXIII.

Occurrunt alii, non quidem idoneam facultatem vera cognoscendi homini denegantes, inopiam tamen regularum logicarum arguentes, ea ubique pro lubitu utendi. Ideo dicunt, plerasque veritates utilissimas fortuito potius casu, quam consilio regulis logicis innixo detectas esse. Sic dicunt, fortuito incidisse Aegyptios propter Nili inundationem annuam dimensionem agrorum, seu Geometriam; Thaletem in dimensionem altitudinis ope umbrae, quae pars est Opticae; Pythagoram in suum theorema de orthogonio triangulo; Archimedem in solutionem problematis hydrostatici; Suarzium in pulveris pyrii inventionem, & pyrotechniam casu incidisse; alios vitri inventionem, vim magneticam, vim electricam, eiusque communicationem; sexum plantarum, metamorphosin avenae in triticum vel bromum, & plura alia fortuito observasse.

§. XXIV.

Etsi vero fatemur, non esse illico omnia in potestate mentis nostrae, uti optaremus; nec ar-

tem hevristicam hactenus satis esse excultam, regulisque cunctis instructam: non desunt tamen regulae logicae, quibus ostendi potest; potuisse quoque fortuito detecta ex regularum distincte cogitandi usu accurato reperiri, modo illis non defuisset industria humana. Jubet enim Logica intueri fortuita inventa, & scrutari, quomodo distincta principiorum suorum cognitione detegi potuissent: Jubet praeterea, ubi desunt principia distincte argumentandi, variis uti experiundi, periclitandi & experimenta instituendi modis, ut &, sequi exempla maiorum, qui multas & valde arduas scientias feliciter indagarunt, qua ratione eruditi adhuc nova detegere pergunt. Tandem non nisi pauca fortuito inventa sunt, praecipua vero dogmata, quae omnibus artibus scientiisque continentur, debentur usui Logicae genuinae.

§. XXV.

Si qui Logicae obvertunt inexplicabiles, quas olim dixere, cavillationes veterum Sophistarum, illi nihil hodie in illis inextricabilis fallaciae superesse deprehendent. Ridentur dudum multae Stoicorum captiones, forma & vi syllogistica destitutae: Cuiusmodi sunt, argumentum quiescens, Achilles, mentiens, ignavum, sorites, dominans, velatum, electra, cornutum, crocodilites, reciprocum, dilemma, deficiens, nemo, messor, calvum, occultum, inficians &c. Quas faciles esse refutatu, oretenus docebo, aeque ac Protagorae & Evathli dilemma.

§. XXVI.

§. XXVI.

Nonnulli certorum notionem ultra veritatem ampliandam ſtatuerunt, & praeter proprie dicta certa, quoque moraliter certa admittunt; quae vero non ſunt ipſis niſi maioris aut maximae veriſimilitudinis gradus. Nomen quidem hoc concedi poſſet, niſi confuſioni anſam daret, omnino certa detrudendi in locum probabilium tantum, aut probabilia ultra meritum evehendi. Soli teſtimonio divino ea ineſt veritas, ut, modo de eius veritate & ſenſu liqueat, nullum dubio locum relinquat. Pertinent huc quoque illi, qui propter quorumdam probabilitatis abuſum hanc inter idola ſaeculi retulere, eidem aliis nec melioribus vocabulis praeceptisque veſtigia veritatis ſubſtituentes.

§. XXVII.

Sunt, qui duce Carteſio dubitationem inter principia logica cognoſcendi veritatem retulerunt, atque de omnibus minimum ſemel in vita dubitandum eſſe ſtatuerunt. Sic nempe incepit philoſophari Carteſius: Dubito, ergo cogito; Cogito, ergo ſum. Quod genus argumentandi etſi in exiſtentia animae humanae evincenda merito locum habeat, & demonſtrationis evidens contineat exemplum, dum integratur Wolffiana ratione; ad dogmata tamen quaeque, tanquam principium omnia inde demonſtrandi, ineptum eſt. A ſingularibus enim & quibusdam tantum ad omnia non valet argumentatio. Praeterea

 dubi-

dubitatio proprie dicta nec adfirmat, nec negat, ideoque nec aſſenſum in alterutram partem flectit. Si vero ea notare non debet, niſi prudentiam non adſentiendi, antequam perſpectum habeamus, quae rationes praeferri mereantur in dando aſſenſu: Proprie dicere poſſumus, id quod & Logica jubet, nempe accurate examinandas eſſe rationes ſententiae in utramque partem adferendas, ut diſtincte pateat, quaenam momentis ſuis vincant.

## §. XXVIII.

Hypotheſibus philoſophicis quidam Angli nuper iniquiores praeter rem fuerunt. Hi ſcilicet nihil dandum eſſe hypotheſibus autumant; ſed uni tantum litandum eſſe veritati. Quae ſi de fictis, & vel impoſſibilibus, vel improbabilibus hypotheſibus damnandis ſciſcerent, mererentur approbationem, ſed, ubi liquida & indubia cognitio haberi nondum aut prorſus nequit, ibi poſſibiles probabilioresque caeteris excogitare rationes explicandi phaenomena praeſtat, quam nihil agere, & nudam profiteri ignorantiam ſuam. Etſi enim hypotheſes huiusmodi non illico rem acu tangunt, corrigi tamen ſucceſſu temporis poſſunt, aut & meliores illis ſurrogari, & tandem, ubi experimentis locus datur, ad certam cognitionem via aperietur.

CAPVT

## CAPVT III.

### *De Controverſiis Ontologicis.*

§. XXIX.

Poſt antiquos nonnulli recentiores immerito omnem proſcribendam eſſe putarunt Ontologiam, quam generali nomine Metaphyſicam vocarunt. Cuius effati cauſa partim ſpuriae Ontologiae aberratio a genuina ſcientiae forma, utpote quam eius inventor Ariſtoteles multis reliquerat tenebris immerſam, quas tenebras alii deinde ſuis auxerunt ſterilibus nugis; partim ignorantia ſolidorum, quae inerant, principiorum, & inertia illa excolendi, ampliandi in uberiores uſus, & emendandi depravata. Denique ingenium ſcopticum acceſſit, quo quibusdam traducere ſarcaſtice uſitata facilius eſt, quam ſurrogare praeſtantiora. Revera enim Ontologia recte tractata theſaurus eſſe debet ſcientiae primarum veritatum, quae caeterarum omnium firmiſſima ſunt fundamenta fontesque.

§. XXX.

Primo veritatum omnium principio repugnantiae, quod Ariſtoteles recte hoc ſtatuit: Fieri nequit, ut idem ſimul ſit, & non ſit; quidam acutiores ſibi viſi praemittendum putarunt identitatis, ut loquuntur, principium. Hoc ita

exponunt: quidquid eſt, illud eſt, &, quidquid non eſt, illud non eſt. Hinc demum reſultare putant illud ariſtotelicum: Quidquid eſt, illud nequit ſimul non eſſe. Sed 1) quum hoc idem nequit ſimul eſſe & non eſſe diſtinctum ſit, illorum utrumque tantum confuſum eſt, idem de ſe ipſo enuncians; quum hoc plura in ſe contineat, quam illa duo coniunctim ſumta: hoc ex illis explicari & demonſtrari nequit. Definitionem autem explicare diſtincte definitum omnes largiuntur; at definitionem per confuſam definiti notionem exhiberi poſſe, nemo concedet; 2) quo genere ſyllogiſmi e duobus terminis quidquam concludetur, etiamſi eos ſemel negando, & dein affirmando iungis? Et nonne illud, *nequit ſimul*, plus facit in concluſione, quam fuit in praemiſſis? Conf. M. *Jo. Theoph. Dragheim de Dubitationibus circa Principium Repugnantiae. 1764. Witteb. 4.*

§. XXXI.

Sed, qui hoc principium etiam ad notiones & definitiones condendas extendendum putant, illi primo tollunt diſcrimen ordinemque operationum mentis primae & ſecundae, quarum haec ſine illa praevia & certa locum habere nequit; itaque ex ſecunda operatione primam facere aut derivare contra naturam mentis & operationis videntur. Secundo temere confundunt probationem ex aliis externis principiis petendam cum illa, quae ex inſitis terminis ſeu notis & rerum indu-

indubiis notionibus petitur. Nihil enim per ſe evidens dici poteſt, niſi cuius notae inſitae ſunt indubiae & ſeparatim ſumtae, & in coniunctione ſeu nexu cum re, cui inſunt. Tertio ignorare quoque videntur regreſſum demonſtrandi logicum, quo concluſione probata ad praemiſſam poſtliminio inferendam utimur, ob reciprocam conſequutionem a notiori alteri veritate incipiendo. Datur enim regreſſus logicus, vel directus, qui e concluſione jam agnita ad praemiſſam, quae alicui dubia videtur, demonſtrandam procedit; vel indirectus, per impoſſibile inde deductum, veritatem praemiſſae comprobans. Quis ex hoc principio definiet, quid ſit idem, quid homo, quid Deus?

§. XXXII.

Qui nec a priori nec a poſteriori principium repugnantiae demonſtrari poſſe putant, eam ob cauſam, quia dari nequit progreſſus demonſtrandi in infinitum, illi neſcire videntur, quid ſit progreſſus in infinitum, quum is minime hic requiratur, ſed tantum de notis principio repugnantiae inſitis agatur, per quas diſtincte veritas eius pateſcit. Dum vero ex illis notis intelligitur eius veritas, facillime quoque argumentis inde concinnatis demonſtratur, aeque ac ſi demonſtrandum ſit, bis duo eſſe quatuor. Vtrum vero ignorantia an ſtupiditas ſit Judaeorum, adfirmantium, contradicentes ſibi invicem Rabbinorum ſententias ambas veras eſſe, quia ipſis a

Deo

Deo ſint inſpiratae, non opus eſt, ut definiam; ſufficit enim, falſo ſumi, utramque huiusmodi ſententiam a Deo ipſis eſſe inſpiratam, quum proprie loquendo neutra dici poſſit eſſe a Deo inſpirata. Aliorum fallacias contra hoc principium motas tetigimus ſupra in refutatis cavillationibus Sophiſtarum, quas inſolubiles dixere ſpho XXV.

§. XXXIII.

Superſunt, qui veritatem huius principii inde labefactare aggreſſi ſunt, quia putant, Deum poſſe libere ſtatuere, ut contradicentia ſimul eſſe poſſent, quem ad modum effecerit in hoc mundo, ut mens noſtra illis concipiendis jam ſit impar. In alio igitur mundo exiſtimant, Deum efficere poſſe, ut duo & unum non ſint tria, ut tres anguli in triangulo rectis lineis terminato non ſint aequales duobus rectis; ut rectae a centro ad peripheriam ductae non ſint aequales, &c. Vid. *Carteſius P. I. Epiſt. 110. 115. P. II. Ep. 6.* Hi falſo concipiunt omnipotentiam divinam, & quid immutabile vel mutabile in ſe ſit. Quia illam etiam ad abſolute impoſſibilia extendunt, quum tantum in quadam hypotheſi talia comprehendat. Porro confundunt abſolute repugnantia, quae utut per ſe immutabilia mutari ſtatuunt, cum iis, quae tantum repugnant hypotheſi adverſae. Conf. *Diſquiſ. Metaphyſ. meas p. 185.*

§. XXXIV.

An poſſibile ſatis diſtincte cognoſcatur, quando *Tſchirnhauſio* in *medicina mentis, pag. 35.* dicitur, quidquid a nobis concipi poteſt: & impoſſibile, quidquid concipi a nobis nequit, non auſim adfirmare, etſi hoc veriſſimum eſſe largior: quidquid a nullo & ne infinito quidem intellectu concipi poteſt, id eſt impoſſibile. Confuſe enim tantum, quid ſit concipere, hic ſumitur, ſed non docetur. Quando cum rudibus hominibus res eſt, ſufficit, pro eorum captu hac phraſi uti. Sed ſi quis cum Carteſio dicit: Ego haec clare & diſtincte concipio, alter vero idem illud negat, tum oportebit, ut ſaltem alteruter rationes (ſeu poſſibilitatis ſeu actualitatis) rei proferat, unde pateat, quod id recte concipiat, quia multi dantur conceptus falſi. Tunc ergo, quid ſit diſtincte concipere, explicandum eſt, ſcilicet, perſpicere per notas rerum duarum earum habitum ad ſe invicem, per quem vel convenire vel repugnare intelliguntur. Aliis verbis idem dicunt, qui ſtatuunt: quidquid cogitari poteſt, illud eſt poſſibile & verum, & contra, quidquid cogitari nequit, illud non eſt poſſibile, ſed falſum; item, quae non poſſunt cogitatione ſeparari, illa re ipſa non ſunt ſeparata; quae non poſſunt coniungi, illa non ſunt vere coniuncta. Potius ergo poſſibile erit, cuius notarum convenientia (qua ſimul uni inſint) poteſt demonſtrari, brevius, cuius notae conveniunt.

§. XXXV.

### §. XXXV.

Principium rationis sufficientis permultis controversiis ob iniquas eius explicationes reprehensum fuit potissimum ideo, quia putarunt, illud omnem evertere libertatem agendi in Deo & mentibus creatis, nec nisi fatalem inducere rerum omnium necessitatem. Sed nil tale ipsi inest, modo recte explicetur, qua genuina explicatione distinctius enunciat, olim (v. c. *Cicerone Topic. Cap. XVI. seq.*) ambigue dictum & concessum: Nihil est sine causa. Notat enim, quidquid existit, eius rationem, per quam sit, dari debere, ex qua simul actu esse cognoscatur. Quum enim ex nihilo nihil sit & fiat, etiam ex nihilo nihil potest certo cognosci. Dari igitur debet ratio, e qua penitus convincamur, rem non fingi, aut tantum esse posse, sed actu dari & exstare. Hoc est, indubia existentiae cuiusque rei ratio dari debet. De controversiis huic principio obmotis videatur *Ludovici Historia Philosophiae Leibnitianae*, item *Wolffianae*, utrobique in indice sub vocabulo: **Satz des zureichenden Grundes**: item *Baumeisteri Appendix ad Philosophiam recens controversam.*

### §. XXXVI.

Dantur, qui loco principii rationis sufficientis substituere malunt, primo, principium contingentiae, quod ita informant: Cuius Non-existentia cogitari potest, illud aliquando non fuit; & secundo, causae sufficientis, hoc nimirum: Quid-

Quidquid existere incipit, illud oritur ab ente, quod ad hoc producendum sufficientem habet facultatem, & in actu constitutum, nec impeditum est. Cui tertium iungunt, quod aiunt e principio contingentiae deductum, sic: cuius non-existentia cogitari nequit, illud est ens necessarium; postea quartum: Nihil est, vel fieri potest, nisi quatenus rebus coëxistentibus, quae simul ponuntur, non contradicit; quintumque: Quidquid non est actio prima libera, illud si oritur, a causa quadam efficiente ita producitur, ut positis iisdem circumstantiis aliter oriri, aut abesse non potuerit, quod ipsis est principium rationis sufficientis. Vid. *Crusii Ep. de summis rationis principiis*, p. 41. sqq.

§. XXXVII.

Sed quaeritur nodus in scirpo, et partim praeter rem principia ambigua et incerta multiplicantur, partim nihil novi dicitur, et ne haec quidem sufficerent, aut satis dilucida ad omnium rerum existentiam perspiciendam in applicatione forent (§. XXXIV.) Quando enim ad res existentes principii rationis sufficientis applicatio est facienda, tum generatim facile patet, rationem existentiae, aut in essentia rei dari debere, aut extra eam. Priori casu solum habetur ens necessarium; posteriori autem contingens, quod rationem suae existentiae vel solum in vi infinita, vel praeterea proximam in vi finita una aut pluribus, sive necessario, sive libere agentibus

habet.

habet. Caeterum, quot sunt res diversae, tot earum diversae sunt notiones, e quibus illae sunt internoscendae; saltem quot diversae geneses habentur, tot forent definitiones geneticae, e quibus earum procreatio pendet agnosciturque. Taceo hic plura, quae de illis coram docebo.

## §. XXXVIII.

Per principium repugnantiae impossibile est, ut res simul actu sit, et non sit, vel existat. Aut ergo existit, aut non existit. Si existit, aut ratio dari debet sufficiens, per quam existat, et existere noscatur, aut non. Si hoc, absurde statuendum erit, rem per nihilum existere, et per nihil agnosci posse ejus existentiam. Sed quum fieri nequeat, ut ex puro nihilo aliquid cognoscatur, sit et fiat: id repugnat principio repugnantiae. Necesse igitur est, ut detur alicubi nempe vel interna vel externa ratio, seu nota indubia cuiuscunque rei existentis, eaque sufficiens, unde pendeant et pateant omnia in ea dari posse, et inesse illi, quae existere et inesse intelliguntur, per §phum XXXV. Qui hoc demonstrari posse e principio repugnantiae negant, hanc reddunt rationem: Esse principium illud enunciationem identicam, quae de eodem temporis puncto agat, in rebus eodem sensu acceptis, quum tamen caussa eiusque effectus simul esse nequeant, sed hic ex illa sequi debeat. Quae, ut multa praeteream, de finitis caussis & actionibus quadamtenus tantum vera sunt. Dudum

enim

enim Ontologi docuerunt, non ratione temporis ſed naturae tantum cauſſam eſſe priorem cauſſato, ſed ut relata, vel qua reſpectum cauſſalem, cauſſam et cauſſatum eſſe ſimul, et poſita cauſſa poni quoque cauſſatum. Videatur *Paſchae Ontologia pag. 45. editionis Lipſienſis in 8vo.*

§. XXXIX.

Quia penitus idem generatim eſt, quidquid ſubſtitui alteri ſemper poteſt citra ullam determinationum mutationem: Tale erit, cuius omnes determinationes internae & externae nullatenus differunt, ideoque nec diſcerni poſſunt. Hinc ſi duo ponuntur, vel concipiuntur, patebit, illa eſſe revera duo, ſi qua determinatio in uno datur actu & dari debet, quae non datur in altero. Si vero uni eorum nil ineſt, quod non ineſſet & alteri, vel, ſi, quaecunque determinationes uni inſunt, eaedem omnes & alteri eodem numero, ordine & gradu (eſſentiali ac quocunque alio) inſunt, illa revera non erunt duo, ſed numero unum idemque. Sic unus idemque eſt homo, cuius anima & corpus & qua eſſentiam & qua immutabilia quaeque in ipſo & qua omnem mutationum relationumque ſeriem, nihil continet a ſe invicem diverſum, ideoque diſcernendum. Loca enim diverſa, tempora vel & ſaecula diverſa, in quibus vivit, ſtatura corporis & valetudo diverſa, gradusque virium, facultatum & habituum differentes, &c. non efficiunt, ut ille non amplius eſſet idem homo, etiamſi Methu-

ſalae aetatem conſequeretur, vel etiamſi omnis eius duratio poſt mortem una conſideretur. Patet igitur, principium diverſitatis ſeu indiſcernibilium derivari ex principio repugnantiae, ſcilicet fieri non poſſe, ut quarum ſumma determinationum (notarum) differre ac diſcerni a ſe invicem debet, ea ſimul ſint diverſa & non ſint idem, ac vice verſa. E quo aperte reſultat hoc: Dari non poſſe duo entia perfecte eadem & ſimilia, quo in demonſtranda unitate Dei uti ſolemus. Vid. *Wolff. Coſmologia §. 195. 245. ſqq.*

§. XL.

Etiam contra hoc principium alii olim & recentius inſurrexere, illud labefacturi. Praetermiſſis jam ſtoicis obiectionibus a recentioribus illi obiicitur, hoc non recte demonſtrari e principio rationis ſufficientis, quando ſtatuitur, ſi eſſent duo perfecte eadem, non futuram eſſe rationem ſufficientem, cur alterum eorum alio loco vel tempore poneretur, ſed tantum, cur ſimul & eodem loco eſſe nequeat. Vbi male tantum locus & tempus aliud ſine aliis rebus concipitur, quaſi ea eſſent entia abſoluta, & in abstracto darentur; ſaltem inferrent rebus diverſitatem: Quid! quod quilibet ex propria experientia certum habere debet, ſe non eſſe ideo alium, quam ſe ipſum, licet in diverſis locis & temporibus ſucceſſive verſetur. Concedunt tamen, non dari per experientiam in mundo duo perfecte ſimilia, licet in ſe ſint poſſibilia in eodem

mundo,

mundo, diverſo nempe loco & tempore, multo magis in alio mundo, quod gratis ſupponunt ideo, quia, ſi intrinſecus illa duo nil differrent, locus & tempus illorum diverſitatem nequaquam efficere poſſet, per §phum XXXIX. Sed, quod numero idem eſt, bis exiſtere nequit, per §. *182. Ontologiae Wolffianae*, & eadem elementa in alio quoque mundo aeque bene aut melius coexiſtere nequeunt, per *§phum Coſmologiae 571.*

§. XLI.

Eſſentiam rerum, qui negant cognoſci ab homine poſſe, cuius perſpicientia ſit in reſervatis divinis; & ſatis praeclare nobiscum agi ſtatuunt, ſi quaedam rerum attributa aſſequimur: illi aliter eſſentiam concipiunt, ac debent, verbi cauſa, ut notionem conſummatam, ſeu, omnino perfectam, qua cognoſceremus omnia, quae in re ſunt ac eſſe poſſunt, nihil vero eorum ignoremus. Quia, ſi tantum una vel altera proprietas cognoſcitur, v. g. extenſio cum connexis, quae ſine aliis exiſtere nequit, non novimus omnia, quae inſunt rei, verbi cauſa, corpori, multo minus quas noſſe officii cauſa, in ampliſſimo rerum uſu faciendo, & illuſtranda gloria Dei, & ſalute communi promovenda debemus. Nec intelligimus, vtrum proprietates, quas perſpeximus, ſufficiant ad rem (uti corpus) conſtituendam. Enimvero ad eſſentiam perſpiciendam ſufficit, ſi ex effectibus vires, ex attributis cognoſcamus, quaenam eorum rationem conti-

neant, vel sint inter omnes eius determinationes & attributiones, quas nosse valemus, debemusque, primae caeterarum rationem complectentes, tum inter communes, tum inter proprias. Quae enim nobis prodesse debent, rerum adfectiones has noluit Deus, ut ignoraremus, sed voluit, ut cognoscere usu rationis possemus ac debeamus; ideoque si non desumus officio nostro, eas quoque assequimur, intelligimus, & explicare ac probare valemus; uti fit in scientiis mathematicis, philosophicis &c. artibusque. Non autem de eo quaeritur, an omnium, quae sunt, aut esse possunt, essentias possimus aut debeamus cognoscere, aut tam perfecte, quam Deus eas novit. Quaeruntur sub his placitis, ab aliis latebrae dissensuum & errorum.

§. XLII.

Jam alii occurrunt, qui non quidem negant, cognosci a nobis essentiam rerum nobis distincte noscendarum posse; sed aeternas & necessarias esse has essentias, id vero inficiantur. Statuunt enim, immutabilitatem aeternitatemque esse attributum unius Dei. (Tunc vero illa absoluta infinita & independens est; praeter quam & hypothetica limitata & dependens datur in essentia finita.) Statuunt porro, essentias rerum esse arbitrarias, & pro arbitrio divino aeque mutabiles ac attributa. Inde quidam dicunt, Deum dare posse materiae facultatem cogitandi, quia ipse est causa rerum & veritatum libera, ac pro

lubitu

lubitu ſuo res poteſt creare & mutare, uti vult. Addunt, Ariſtotelem per paganorum errorem dixiſſe aeternas rerum eſſentias, ponendo materiam Deo coaeternam, & dicendo formam earum ipſum Deum, quod ſalva veritate & pietate nequeat dici. Deum, pergunt, dediſſe nobis ſenſus, quorum ope res cognoſcamus, quos longe aliter inſtruere potuerit, ac inſtruxit, item, Deum ex lapidibus poſſe Abrahamo liberos procreare, & panem. *Luc.* III, 8. *Matth.* IV, 3. (ubi Satanas ait: Ειπε ινα οι λιθοι ουτοι αρτοι γενωνται.)

## §. XLIII.

Electionem, procreationem, conſervationem, & generatim exiſtentiam rerum mundanarum eſſe contingentem & liberrimam, omnes merito largiuntur; ſed male exiſtentia in obiectionibus confunditur cum eſſentia, vt, quod illi proprium eſt, ad hanc ſpecioſe applicetur. Id quod inprimis de eſſentia ſimplicium valet, quae proprie ſubſtantiarum nomine veniunt. Compoſitorum enim eſſentia, in modo unionis ſimplicium poſita, aliquid habere videtur, quod arbitrariis acccenſeri poſſit, dum non neceſſario ſic compoſita ſunt, & eſſe debent, niſi hypotheſi, ſeu conditione poſita, propter quam tamdiu, quamdiu illa requiritur, eorum eſt neceſſaria eſſentia, qua obtenta hypothetica illa neceſſitas & modus compoſitionis ceſſat. Quatenus tamen is unionis modus in ſe eſt poſſibilis, eatenus nunquam poteſt eſſe aut fieri impoſſibilis, hinc &

essentia compositi, tanquam interna eius possibilitas, est necessaria & aeterna; quod vero in compositis mutabile est, id pertinet tantum ad eorum existentiam, v. g. ortum, durationem, mutationem, interitumque. Jam si essentia, nec mutatur, nec mutari potest, attributa quoque mutari nequeunt, nec in alia transferri. Est nimirum essentia interna rei cuiusque possibilitas infinita mente ab aeterno perspecta, non habet illa initium, successionem aut finem, continet omnia simul, nequit unquam esse aut fieri impossibilis; itaque nec mutari potest. Quando vero essentia mutari dicitur in composito, tantum contingentia & existentia eius innuitur. Error Paganorum de aeternitate materiae primae qua existentiam nequaquam ingreditur hanc doctrinam, nisi erronea opinione. Sensus vero nostri nil de essentia rerum statuere valent, sed mens tantum. Deum denique annihilare res (posse), & earum loco alias (ἐγείρειν, excitare e nihilo, h. e.) creare posse, manet extra controversiam. An vero id velit, adfirmaturis probandum est.

## §. XLIV.

De existentia nonnullis visum est, eam definiri non posse, quum illa nihil sit clarius. Sed non magni momenti est hic dissensus, qui fere exspirat jam, allatis iis, quae a multis Philosophis datae sunt, definitionibus, quas attuli in dissertatione *de criteriis existentiae* anno CIↃ IↃCC XLIX habita

habita. Dicunt definiri, quod obſcurum eſt, facilioribus & magis perſpicuis verbis; at verbo: Eſſe, nihil eſſe ſimplicius, nihil planius dari, id a nemine unquam habitum eſſe pro obſcuro: Praeterea non adferri in definitione exiſtentiae, niſi verba aut obſcuriora aut ſynonyma. Nihilominus & ipſi hi diſſentientes exiſtentiam Dei, animae humanae & corporis defendunt, adverſus Atheos, Materialiſtas, & Idealiſtas. Largiuntur eo ipſo, & docent, dari rationes, quibus negantes eam convinci poſſint ſui erroris. Dantur ergo notae exiſtentiae internae & externae, e quibus exiſtentia explicari, probari, & defendi poteſt contra negantes eam.

§. XLV.

Res in ſenſus incurrentes eſſe compoſitas facile omnes largiuntur; ſed ortum earum ex vnione elementorum ſimplicium nonnulli in dubium vocarunt. Hi vero non ſunt, niſi qui mathematicae quantitatis notionem pro phyſica habent. Dicunt enim, ſimplicia vocari puncta naturae partibus deſtituta, ſed infinita puncta ita in unum incidere, ut nulla ibi compoſitio oriatur: uti dum radii circuli omnes e peripheria ducti in centrum conveniunt, quod tamen non eſt, niſi punctum partium expers. Verum puncta mathematica, item zenonica nihil a ſe invicem differre, nec ideo extra ſe invicem dari poſſe, lubenter largimur. At quando elementa ſimplicia dicuntur puncta ſeu atomi naturae, illa

ſunt huiusmodi entia, quae principium internum corporum primum conſtituunt, eaque ſunt omnia diverſa, extra ſe invicem & vi praedita. Videatur *Ontologia Wolffiana* §. 181. *uſque ad* §. 198. Male illorum unioni obiicitur impoſſibilis contactus, qui non eſt, niſi corporum: Quaſi ſimplicium unio alia eſſe nequeat, utpote quae non niſi ſitum proximum & virium conſentientium ad mutuam, & compoſiti perfectionem, aliorumque externorum pariter conſpirationem requirit, eisque abſolvitur.

§. XLVI.

Compoſita nulla gaudere vi agendi, ſed eſſe mere paſſiva, & inepta ad ullam actionem, qui ſtatuunt, illi vel omnem motum a Deo, velut ex machina advenientem repetunt cum Carteſianis, vel ex inertia omnes derivare nituntur corporum mutationes. Priores dicunt, quoties motus in corpore fieri debet, toties Deum illum debere efficere ob defectum virium corporis, quod tantum mobile ſit eatenus, ut poſſit extrinſecus moveri, ſeu, ut motus illi ab alio ſit imprimendus. Nituntur illo antiquo ſcito: Quidquid movetur, illud movetur ab alio. Sed veteres Philoſophi jam agnoverunt, non eſſe hoc de omnibus corporibus ſtatuendum, quia admiſere, res ſe ipſas moventes, quas dixere animas & entelechias, unde & motum ipſum vocarunt entelechiam, ſeu actum eius, quod in potentia eſt, aliumque motum ſtatuerunt naturalem,

alium

alium violentum. Ignem & aërem ſua natura ſtatuerunt ſurſum ferri, item calidum & frigidum eſſe principia activa; ſiccum autem & humidum paſſiva. Sic & animalia ſe ipſa movere agnoſcunt. Poſteriores inertiam habent pro vi conſervandi ſuum ſtatum, ſeu perſeverandi in ſuo ſtatu: Ideoque negant, inde motus & mutationes aliter fluere, quam propterea, quia alias per fictam hypotheſin in ſuo ſtatu perſeverare non poſſent. Sed & illa conſervatio ſtatus ſui, ſive in motu ſive in quiete, ſine vi movendi eſſe & concipi nequit.

§. XLVI.

Tametſi omne compoſitum eſt diviſibile in partes, ac reſolubile in principia ſua, diviſio tamen aeque ac reſolutio fieri nequit, niſi in partes & res, quae inſunt, quae utique in rebus finitis ſunt limitatae definitoque numero gaudent. Hinc quum ad minimas dividi amplius neſcias ſeu partium expertes perventum eſt in diviſione aut reſolutione, ibi nulla ulterior ſeu partitio ſeu reſolutio locum habet, de quacunque vi ſermo fiat. Tales ſunt partes corporum ſimplices, hoc eſt, elementa genuina extra ſe invicem poſita & ponenda. Quotquot ergo diviſionem non in definitum, ſed in infinitum dari contendunt partium numerum, illi, ſi quid veri in mente habent, diviſionem mathematicam in abſtracto mente tantum concipiendam non diſcernunt a naturali, quae res exiſtentes in membris ſuis re-

quirit, non tantum possibiles aut plane fictas, quae vel ab atomo procedendo in omnes fractiones fictas simplicis & individuae naturae continuari cogitatione & calculo sine fine possunt. Verentur & ipsi Mathematici statuere mundum infinitum, quem tamen ut possibilem ideo concipi posse putant, quia omne quantum augeri potest ac minui; unde & divisionem & diminutionem (mentalem, algebraicam) in infinitum concipi posse arbitrantur. Quod in abstractione mentis concedi potest, neutiquam in existentia ullius compositi, eiusque physica diremtione. Conf. *Examen divisibilitatis in infinitum* anno CIƆIƆCCL ex hac cathedra propositum.

§. XLVIII.

De spatio imaginario ante mundum conditum etiam nunc extra eundem, & superfuturo, etiamsi mundus annihilaretur, quod fingunt esse extensum vacuum, immobile, indivisibile, immutabile, uniforme, penetrabile, expers ullius actionis & qualitatis, recipiens vero mobilium successiones, pauca occurrunt monenda praeter ea, quae adducta sunt in mea disputatione *de spatio vero & imaginario* anno CIƆIƆCCL habita. Vrgetur saepe, vacuum huiusmodi immutabile, increatum, aeternum & infinitum ad motum esse necessarium, sed praeter rem, rationem, experientiamque indubitatam. Celeberrimus Physicus Belga, *Muschenbrukius, Phys. §. 86. seq.* vacuum dicit substantiam creatam, sui generis, & reli-

reliqua. Cui eadem obſtant argumenta, quae in diſſertatione citata habentur, & praeterea tantum ideo huiusmodi vacuum ab eo ſtatuitur, ut corpora in eo dari poſſint. Neque conciliari haec ſententia poteſt cum Raphſono caeterisque, qui increatum illud ſtatuunt ſpatium, referuntque ad immenſitatem Dei. Newtonus quaeſtione optica viceſima octava quaerit: Annon ex phaenomenis conſtet, eſſe entem incorporeum, viventem, intelligentem, omnipraeſentem, qui in ſpatio infinito tanquam ſenſorio ſuo res ipſas intime cernat, totasque inter ſe praeſentes complectatur? Quam ſententiam nuper Anonymus *Tom. XVII. novae Bibliothecae Germanicae* defendere eſt anniſus. Sed negandam eſſe hanc quaeſtionem, & ipſa ſumtione aeterni ſpatii actualis infiniti motus in vacuo impoſſibilis, & natura Dei ἀυταρκοτατȣ conſtat. Vbi enim nihil eſt, ici diſcerni motus, ut mutatio viciniae, aliorumque & loci, ut partis ſpatii indiviſibilis, nequit.

## §. XLIX.

Temporis imaginarii notio aeque erronea eſt, ac ſpatii, ſi tempus, ut ens compoſitum, e partibus ſucceſſivis continuis ſimillimis, nec intrinſecus differentibus (ut linea recta motu puncti genita), inſtans fluens fingitur, & ante res finitas fuiſſe, extra eas adhuc dari, & poſt illas reſtiturum eſſe ſtatuitur. Aperte enim tum tempus confunditur cum aeternitate, quam ſucceſſionis omnis expertem, itaque longiſſime abeſſe

a tem-

a tempore docet Theologia naturalis, & dissertatio mea: *Aeternitas omnis expers successionis.* Quid ad definitionem: Aeternitatem esse durationem initio & fine carentem, notandum sit, dixi §. *21.* Dissertationis citatae. Dum duratio dicitur continuatio existentiae qualiscunque, aliquid ei immiscetur existentiae finitae; quae quia simul dari nequit, nec simul capit ea, quae habere potest, requirit talem continuationem, quae fit per momenta diversa in serie continente, quorum unum, dum existere desinit, alterum statim incipit & pergit esse extra & post alterum. Duratio finitorum infert successionem, ergo & tempus, non vero existentia infinita, quae est aeternitas, omnia simul & immutabiliter complexa. *Newtonus* quidem tempus absolutum, seu rerum durationem vocat aequabiliter in se fluentem & perseverantiam existentiae, negat tamen, Deum esse durationem, quamquam ipse durat existendo semper & durationem ubique constituendo, *Principiorum Philosophiae Schol. 1. Defin. VIII.* sed *Clarkius* in *responsione quinta* hoc ita explicat: Deum non existere in tempore, esse tamen omnis temporis auctorem. Verum est, aeternitatem non consistere in puncto indivisibili; sed male infertur inde, ideo illi infinita puncta inesse: quum potius omne punctum, temporis finiti proprium, ab ea sit removendum per §phum 40. & sequentem *Dissertationis citatae.*

CAPVT

## CAPVT IV.

### *De Controverſiis Cosmologicis.*

§. L.

Abutentes principio ontologico: Ex nihilo nihilo nihil fieri poteſt, pagani Philoſophi exiſtimarunt, interprete *Lucretio de Natura rer. L. I. v. 180. etc.* aut mundum ipſum eſſe aeternum, aut ſaltem materiam eius primam aeternam eſſe debere. Abuſus enim principii inde patet, quia vera ſententia eius haec eſt: Si nihil rei poſſibilis ponis, ſi omnia negas, quae exiſtere poſſunt, non habes niſi impoſſibilia, et ſic nihil relinquis, quod rationem alicuius ſeu ullius rei contineat, aut exhibere poſſit. Haec vero eius interpretatio: ſi nihil materiae actualis ponis, nihil compoſiti ullo modo actu fieri poteſt, falſa eſt. Vi enim infinita ex mere poſſibilibus utique omnia finita ſimplicia et ex his compoſita actu fieri poſſunt. Nam hic non componitur aliquid huiusmodi, quod impoſſibile eſſet, ſed quod poſſibile in ſe eſt; et praeterea ponitur vis infinita, quae omne id ad actum producere poteſt, quod nullam involvit repugnantiam, ſed cuius notae poſſunt convenire. (§. XXXIV.)

* *Tomo 25. Acad. reg. inſcription. et liter. bellar.* A. 1754 ed. 1759 Abbas *le Batteux* Philoſ.

Col-

leg. reg. in coniecturis ſuper Syſtema Homoeomeriar. ſ. partium ſimilarium Anaxagorae, contendit, axioma, e nihilo nihil fit, non reſpuere creationem, quam ne quidem fieri poſſe opinati ſint Philoſophi antiqui, ſed ipſos eodem reieciſſe principia rerum indeterminata ſ. materiam primam forma et qualitate omni deſtitutam, et eum attributis et configuratione nunquam amittenda praeditum eſſe etc. Sed indeterminatum determinari poſſe, nemo poterat ignorare, qui tantum vel grammaticae ἀόριστον tempus et praeſens, et caetera noverant, vel Mathematicorum et Philoſophorum catholica determinari in individuis cognorant.

§. LI.

Mundum ipſum non eſſe aeternum multa evincunt. Omnia enim, quae inſunt mundo, non niſi mutabilia et finita ſunt, item limitata, et fortuita, quae et initium habent et continuationem ſuccedentium viciſſitudinum et interitum. Quae omnia aeternitati repugnant, utpote quae a ficto tempore infinito penitus differt, per §phum XLIX. Reſpuit enim aeternitas omnem exiſtentiae ſeu actus mutabilitatem, omnem ortum, progreſſum, ſucceſſionem, durationem proprie dictam interitumque. Mundum vero ſeriem et complexum mutationum omnigenarum eſſe, ideoque aeternum eſſe non poſſe, liquet. Idem hiſtoriae omnes confirmant, origines, incrementa, decrementa et viciſſitudines innumeras omnium rerum narrantes, quarum certa cognitio habetur, nec omnino neglecta fuit. E quibus, iisque,

que, quae quotidie inveniri experimur, de reliquis, quorum historia non prostat, iudicium fieri potest, parem esse caeterorum omnium, quae in illo sunt et fuerunt conditionem rationemque. Extensio mundi materialis ignota quidem et indefinita est; sed infinitam esse neque demonstrari potest a priori, neque ope experientiae ostendi, quoniam omnium, quae insunt, indoles ac existentia finita et mutabilis esse cognoscitur.

§. LII.

Materiae primae aeternitatem qui inter Paganos statuerunt, illi eam ex malo intellecto applicatoque principio §phi L. sequi putarunt. Quo collabefacto, corruit et aeternitas materiae primae illi superstructa. Plato materiam mundi, ex qua constat, aeternam dixit, quam et Aristoteles tanquam potentia passiva tantum praeditam et propensam ad omnes formas successive recipiendas, ideoque ingenerabilem et incorruptibilem statuit. Probare hoc voluerunt ex elementorum in se invicem transmutatione; ex generatione, qua una forma abiecta alteram recipi crediderunt, item ex privationis et formae contrarietate. Verum alii eodem circiter aevo hoc rectius negarunt, (§. XLVI.) animadvertentes, generationem fieri e materia non quacunque communi, sed ex proprio semine, nec dari posse veram elementorum transmutationem. Cum essentia cuiusque rei singularis sit unica et im-

immutabilis cum quibuscunque suis attributis, horumque analogis. *Ontolog.* *§. 182.* et supra §. XLII. seqq. Etiamsi materia prima capitur cum recentioribus pro elementis corporum; nec illa tamen, nec animas posse a se esse, sed tantum ab alio contingentem accipere existentiam, Theologia naturalis demonstrat inter alia etiam inde, quia finita pollent natura et in alio quolibet mundo alia elementa aliaeque animae esse deberent.

§. LIII.

Supersunt quidam antiquiores et recentiores, qui concedunt, mundum non esse aeternum, sed esse in tempore; posse ipsum tamen esse ab aeterno; seu potuisse ab aeterno creari concedendum esse cum *Parkero* *Cap. IV.* p. 452. *Dispp. de Deo*, ipsoque *Wolfio* nostro in juniori aetate, arbitrantur. Rationes has adferunt: 1) essentia mundi est aeterna; 2) eius autor et conditor Deus est aeternus, eiusque intelligentia, sapientia, bonitas, potentia, decretum denique condendi mundum est aeternum. Hinc nullam dari repugnantiam in hac sententia neque ratione rei, neque Dei, neque operationis eius liberae. Manere enim mundum a Deo dependentem, quamquam ab aeterno esset creatus. Sed ratione rei utique implicat repugnantiam haec opinio, si ab aeterno creari proprie dicatur, uti dicitur Deus ab aeterno decreuisse creationem. Scilicet, quidquid aeternum est, illud nullum habet ini-

initium, est Deo internum, estque immutabile. Sed si mundus ab aeterno esset creatus, utique haberet initium existentiae, esse deberet extra Deum, nec posset in illo esse & manere, ideoque nec immutabilis esse; quum mutabilitas sit inter attributa mundi, omniumque eorum, quae illi insunt. Nec potest mundus simul in tempore actu esse & tamen ab aeterno: Quoniam quod ab aeterno actu est, est in se semper aeternum, per definitionem; aeternum autem simul nequit in tempore & successivum esse, quum mundus successionum sit refertissimus. Nequit mundus ab aeterno factus dici, nisi falsa gentilium hypothesis assumatur, Deum non agere nisi ex necessitate naturae, ideoque ex necessitate, non libere creasse.

## §. LIV.

In genere mundum esse systema aut seriem omnium finitorum, seu, quotquot sapienter inter se connecti possunt, agnoscit illustris *Wolfsius* in *Scholio ad §. 55. Cosmologiae* adiecto. Idque contra eos fecit, qui putarunt, ipsius definitionem mundi etiam in horologium, molendinum aliamve machinam applicari posse. Bülfingerus ideo in defensione definitionis Wolffianae mundum vocat seriem omnium rerum mutabilium simul & successive inter se connexarum, quae definitio huius, qui existit, mundi exemplo confirmatur. Neque opus est, ut vel infinitae causae efficientis, vel finis, qui patefactionem

Maieſtatis ſui Auctoris continet, mentio in definitione mundi fiat, quum haec externa principia ex inſitis deduci poſſint; aeque ac ex ſcientia libro tradita, & ex opere quolibet auctoris perfectio vel imperfectio, & finis, propter quem ediderit effectum, ab intelligentibus erui poteſt.

§. LV.

Plures mundos eſſe poſſibiles tantum imperiti aut Fataliſtae dubitare vel negare poſſunt. Illi id ideo in dubium vocant, quia intellectum humanum ne hunc quidem mundum capere, multo minus alios poſſibiles perſpicere poſſe, arbitrantur. Patet vero plurium mundorum poſſibilitas partim a priori, partim a poſteriori, quadamtenus confirmari poteſt. A priori liquet, multa vel in hoc mundo ſub aliis conditionibus, quam quae in illo occurrunt, locum habitura eſſe. Quarum conditionum numerus, quum ſit innumerabilis, ſi ad omnes eventus mundanos applices: pateſcit, tot alios mundos eſſe poſſe, quot dantur caſus poſſibiles in hoc mundo omnino non eventuri, aut non, niſi ſub mutatis rerum conditionibus futuri. Quum vero alii caſus aliaque phaenomena aliam quoque rerum ſeriem, alium ordinem & alia elementa requirant, per §. *99*, *ſequentem*, & *57*. *Coſmologiae Wolffianae*, ſi ea optime evenire deberent: tot alii mundi poterunt eſſe, quot alii caſus eodem articulo temporis a creatione mundi, eodemque loco in mundo poſſent evenire per §. *101*.

*ibi-*

*ibidem:* A posteriori idem confirmant tot historiae fictae & fabulosae, modo nil absonum continentes; item tot commutationes, eversionesque rerum mundanarum. Si quid humanus intellectus in his non perfecte capit, id arguit, mundum quemque esse opus Dei infiniti. Necessitas autem bruta, utpote immutabilis, propterea corruit, quod innumera ipsa mutat natura rerum, mutamus & nos in hoc mundo pro lubitu nostro. Quae fiunt in mundo causis antegressis, mutabilibus tamen fiunt viribus actionibusque; nec quae vera & certa sunt in mundo, aut necessitatem continent, absolute immutabilia sunt, sed tantum hypothetice ea, quae physica vocatur, necessitate. Conf. *Cicero de Nat. Deor. Lib. II. cap. 34.*

## §. LVI.

Non sunt praetereundi, qui dudum cum Democrito, Epicuro caeterisque arbitrati sunt, & adhuc illi adstipulantur opinioni, mundum temere casuque seu fortuito atomorum (elementorum) concursu natum esse. Sed eiusmodi concursus vel esse deberet casus purus, sufficienti ratione destitutus, qui est absurdus per *Cosmologiam Wolffianam §. 94. & seq.* & ne quidem in re minima, verbi causa, unico versu Homeri, nedum in integro universo concipi potest; vel ex viribus insitis coecis oriri debuisset, quae hypothesis materiam primam non solum aeternam, sed & a se includeret, quod multo est ineptius,

vel mundum in Dei naturam erigeret, quod omnium absurdissimum esset. Et tamen vel in tali fictione ne unicum quidem animal, multo minus planeta aut sidus ullum ita compingi in sapientem stabilemque seriem nexumque potuisset. Citius igitur persuadeat aliquis deliro, aedificium vel librum fortuito laterum litterarumque concursu seu coniectu natum esse, quam, non sapienti, sed vulgari tantum mentis captui, vastissimum ratisque legibus perdurabilem mundum ita esse exortum. Vid. *Cicero de Nat. Deor. Lib. I. cap. 32. Lib. II. cap. 35. & Tusc. Qu. Lib. I. cap. 25. & de Fato cap. 3.* *)

*) Qui adversus hic dicta excipiunt, esse tamen possibile, ut concursu litterarum graecarum fortuito Homeri versus quidam emergat: illi haec duo confundunt, fieri posse, ut ita litterae graecae componantur ab Homero, quod nemo negat, & hoc idem casu fortuito & concursu fieri posse. Si enim concurrere deberent, deberent esse substantiae vi concurrendi praeditae, quod de litteris vix absurda somnianti in mentem veniat. Si coniectu cuiusdam fieri deberet, coniiciens deberet esse mente praeditus, tam absurdum agendi modum nunquam nec ausurus, nec finiturus, quum promtissimum habeat in potestate sua.

## §. LVII.

Neque felicius mundi genesi ac naturae adhibetur ab aliis progressus in infinitum proprie dictus, tanquam series contingentium rerum interminata, in qua nec primum detur, nec ultimum.

Sive

Sive enim ille progressus capiatur ut rectilinius, in se nunquam rediens, sive ut curvilineus, in se rediens, (uti dividitur §. 92. *Cosmologiae Wolffianae*); uterque tamen est ἀδυνατος, & a se esse nequit. Nam rectilineus ad alias semper causas contingentes adscendit, quantocunque intervallo, itaque nunquam ad rationem sufficientem pervenit, quum omnes causae & res sint aeque contingentes per §. 93. citatae *Cosmologiae*. Rediens in se pariter nunquam ad rationem sufficientem accommodari potest, quum & in eo quodvis, quod inest, per hypothesin sit contingens, itaque pariter destituatur ratione sufficiente, per quam existeret quidquam in illo. Exempli loco ponatur motus sideris in orbita seu circulari seu elliptica, in qua motus in quolibet eius puncto semper contingens foret, nec nisi a vi contingente oriundus. Ideoque nullus omnino esset motus, nullus esse posset eius ortus, nullus progressus adhuc perdurans, multo minus legibus huiusmodi ratis adstrictus, quibus Astronomi illum praescire & praedicere, aeque ac retro praeteritum exputare valerent. Absurdus igitur est progressus mundi finiti (§. 34.), & rei cuiusque talis, in infinitum: ne in infinito quidem is fingi potest, in quod nulla cadit progressio (§. 100.).

## §. LVIII.

Quia proprie dictus progressus in infinitum nullus in ullo mundo aut finito locum habere

 potest

poteſt (per §. LVII.): Mundus quoque nullus poteſt eſſe infinitus, (interminatus) ſive ratione temporis, ſive ratione ſpatii vel extenſionis. Ratione temporis enim in illo dari debet initium exiſtentiae, eiusque progreſſus, ſeu ſucceſſio, quae ſemper cuiusque inſtantis initium, finem, continentemque plurium continuationem includit. Etiamſi igitur putas, fieri poſſe, ut ſine fine ſubſiſtat ſeu duret mundus in aeternum Deo conſervante; haec tamen duratio nec aeternitas eſſet (per §. LI. & ſequentem), nec proprie dictum tempus infinitum ſeu interminatum, utpote quod nec finem nec initium continere deberet, quum tamen actus vel creatio mundi neceſſario primordium eius includat. Ratione ſpatii extenſio mundi deberet eſſe terminorum expers, & ubique, ſi interminata eſſe debet. Sed hoc rurſus in ſerie rerum finitarum eſſe nequit, quae omni modo determinata eſſe debet, ut exiſtere poſſit. Ergo & limites extenſionis debent eſſe determinati, &, uti, quidquid in eo datur, finitum eſt, ita & totus mundus finibus includi debet, quum indeterminatus exiſtere nequeat. Nequit eſſe mundus ubique, ſeu proprie immenſus, quod ſolius Dei eſt peculium, item, quoniam non omnia finita poſſibilia, ſed tantum ſapienter inter ſe nexilia & ad ſcopum profutura ſuffecturaque complecti valet, ut praeter ipſum complures alii mundi poſſibiles reſtent (§. LV.). In ſe igitur omnis mundus debet eſſe finitus, etſi nos eius terminos metiri nequeamus.

§. LIX.

§. LIX.

Etsi mundus materialis ex materia constat, & extensus ideo est; non tamen ideo compositum est, quidquid eidem inesse potest aut debet. Est quidem materia actualis extensum iners, quatenus plerumque in sensus incurrit. Sed propterea non omnis materia aut res materialis est extensa & composita, aut esse potest: quia hoc involveret progressum divisibilitatis verae in infinitum, qui in mundo dari nequit (per §. LVII.). Deveniendum ergo est in omnis materiae sensibilis divisione & analysi ad prima, quae illi insunt (per §. XLVII.). Si haec prima dicis composita, sed naturaliter individua; vel in hypothesi precaria relinquis hoc, supernaturaliter tamen illa resolvi in talia posse, quae non amplius composita dici queant. Ergo initia omnis materiae non sunt nec esse possunt, nisi simplicia, seu vera elementa insensibilia. Sensibilia quidem elementa quatuor numerantur inde ab Empedoclis aevo; sed his quintam (simplicem omnium) addendam esse naturam essentiamque, dudum ab antiquioribus Philosophis, Aristotele praesertim animadversum est. Videatur *Cicero Tuscul. Quaest. Lib. I. Cap. 17. & 27.* qui & *Academicarum Quaestionum Lib. I. Cap. 7.* quintum genus dicit, e quo sunt astra mentesque singulares. Ibidem & qualitates principes dicit uniusmodi & simplices; reliquas vero ex his ortas. Corruit igitur materialismus, quo omnia finguntur, vel in mundo materiali non esse, nisi com-

posita & extensa. Recentius Hobbes, Coward, Toland &c. eum sunt professi.

## §. LX.

Vti hi materialistae omnia in mundo extensa esse fingunt: ita idealistae in alterum ruunt extremum, & omnia tantum idealia in mundo esse debere opinantur; materialia autem pro meris habent phaenomenis, ita tantum apparentibus, ut iris in nubibus, dum pluunt. De his hic tantum notamus, quod corporibus nullam nisi in anima nostra existentiam tribuant, contra sensum & rationem. Mundum enim materialem ex materia corporibusque constare, nec his carere posse, tam manifestum est, ut evincenda esset corporum impossibilitas extra mentem, & proprium nostrum corpus negandum sit, si illud tantum in anima concipi fingamus. Et sensus omnis evidenter, vel solo tactu, tanquam infimo, contrarium docet. Si tantum in anima fingerentur corpora, qui possent extra eam nasci, fingi, frangi, comburi, putrefieri, manibus palpari, &c.? Phaenomena non sunt fingenda, ubi non dantur, sed ubi dantur, aperte demonstrandum est, quid rei illi subsit, quod aliter, ac est, apparet. Quod omne corpus pro mero phaenomeno habendum sit, nemo eorum, qui talia facile fingunt, unquam docebit. In Theologia naturali plures suppetunt rationes idealismum refutandi, quo reliqua reservamus.

§. LXI.

§. LXI.

Qui statuunt, omnia mundi elementa esse debere simillima inter se, in errore aperto versantur, sive per elementa intelligant simplicia, sive composita inseparabilia. Si enim elementa perfecte similia statuuntur, nullum eorum potest esse ab altero diversum, & extra alterum (§. XXXIX.) Sed debent corpora esse composita extensa; ideoque partes continere necessario extra se invicem ponendas. Etsi igitur simplicia statuuntur prima corporum elementa, nisi qualitate quadam a se invicem differrent, quum partibus, figura & mole careant, nulla ratio esset, cur extra se invicem poni, & sic potius quam aliter collocari deberent. Quamquam igitur similis est omnium vis movendi, gradu tamen celeritatis, & directione illa vis in singulis discrepare debet, ut juxta se invicem posita unitaque conficiant extensionem. Multo magis differentia interna detur necesse est inter corporum elementa, si statuuntur composita, ubi & ratione quantitatis, situs, numeri, partium & coniunctionis earum varietas haberi potest, & debet in optima partium coagmentatione. Singula igitur elementa mundi cuiusque debent esse inter se dissimilia, ratione diversitatis, quae in ipsis est necessaria, etsi in genere similia sunt, ratione simplicitatis statusque elementaris.

§. LXII.

Quando mundus dicitur machina, & cuncta in eo mechanice fieri & explicanda esse, hoc

non valet, nisi de materiali seu corporeo mundo, quatenus eius mechanica structura distincte intelligi & phaenomena inde explicari possunt. Dantur enim & in ipsis corporibus, quae in illis mechanice per solam structuram fieri & explicari nequeunt; sed indigent viribus movendi, earum legibus, qualitatibusque evidenter observatis, unde phaenomena alia aliaque resultant, & plura in mundo observabilia occurrunt. Quae ergo possunt e principiis mechanicis, hoc est, magnitudine, figura, situ & motu explicari, ea merito inde derivantur. *Cosmol. Wolf.* §. 237. *sq.* Quae vero principia physica, hoc est, vires, qualitates observabiles, leges agendi & phaenomena notiora requirunt, mechanicis principiis vel latentibus vel non attendendis, nec suffecturis, illa ex his physicis principiis explananda sunt, v. c. ex elasticitate, inflammabilitate, luce, calore, cohaerentia, duritie, flexilitate, &c.

## §. LXIII.

Lex motus prima non satis determinata quadam eget reformatione. Sic ea se habet: Omne corpus manet in suo statu quiescendi, aut movendi uniformiter in directum, nisi eum mutare cogatur a viribus impressis. Vis enim impressa dicitur Neutono actio in corpus exercita ad mutandum eius statum. Quam negat post actionem permanere in corpore, oriri vero statuit ex ictus pressione & vi centripeta, qua versus punctum aliquod impellitur, aut tendit. Vim insitam

autem

autem materiae vocat potentiam reſiſtendi quantum in ſe eſt, ſui ſtatus mutationi, vel potentiam perſeverandi in ſtatu ſuo quietis aut motus. Quam proportionalem ſemper corporis denſitati eſſe, nec ab inertia maſſae differre ait, niſi in modo concipiendi. Per inertiam, pergit, fieri, ut corpus omne de ſtatu ſuo difficulter deturbetur. Hanc vim ſolummodo exerceri a corpore in mutatione ſtatus ſui per vim aliam in ſe impreſſam facta; eiusque exercitium eſſe ſub diverſo reſpectu, & reſiſtentiam, & impetum. Reſiſtentiam, quatenus corpus ad conſervandum ſtatum ſuum reluctatur vi impreſſae; impetum, quatenus vi reſiſtentis obſtaculi difficulter cedendo conatur ſtatum eius mutare.

§. LXIV.

Jam ſtatus ſeu movendi, ſeu quieſcendi debet eſſe mutabilis, quia cogi corpus poteſt ad eum mutandum, ex ſententia Neutoniana. Dum igitur adeſt alteruter, mutabilia eius ſunt determinata, ideoque conſiſtere debet ſtatus in determinatione mutabilium, cuius naturalis ratio dari debet eaque ſufficiens. Haec non poteſt eſſe niſi vis agendi, quia motus eſt actio, & ſtrictius, vis movendi, quia motus ab ea proficiſcitur, & quies non eſt, niſi motus impeditus, vel quomodocunque ceſſans per rationes ſufficientes. Vis inertiae igitur, quae corpori ineſt, ex Neutoni ſententia, quoque debet eſſe vis movendi determinata gaudens directione & celeritate ad reſiſten-

ſtendum, quum alias exiſtere & agere nequiret. Statuitur autem conari impetu ſuo mutare ſtatum alterius corporis, & reluctari alterius actioni: itaque agere in alterum ſic, ut eius ſtatus mutetur, niſi quatenus reſiſtere valet. Reſiſtendo conatur & perſeverare in priſtino ſtatu ſuo, quantum valet, & mutare ſtatum alterius impetu ſuo in illud facto. Impetus ergo, qui ante non aderat in ipſo, mutat prius ſtatum ſuum, ut omnis actio externa mutat ſimul ſuum ſtatum, eo dum alterius ſtatum mutare conatur. Ponamus verbi cauſa, quemquam velle aperire ianuam, nonne neceſſe eſt, ut ſuum mutet ſtatum id conando, quod antea non agebat? Eſt igitur vis movendi aliud ſimul vis mutandi ſuum ſtatum, ſed unico tantum modo & ex naturali neceſſitate. Hanc ob rem ad alios modos agendi eſt iners, & illi ab alia vi externa proficiſci debent, quatenus capere illos corpus valet, illisque reſiſtere nequit. E. g. Nix capere nequit ignitionem, ſed tantum ſolaris caloris gradum ſe liquefacientem, quando illi reſiſtere nequit, quod contingit vel in rigida hieme.

## §. LXV.

Hinc ſic ſtatuendum erit: Vnumquodque corpus non poteſt non ſemper agere breviſſimo modo, quidquid valet; nec unquam mutuae perfectionis cauſa agit contra aliud, niſi id ipſi reſiſtit; nec reſiſtit alteri, niſi quatenus alterum contra ipſum agit. Quando igitur vires inter-

nae

nae cum externis sunt in aequilibrio, corpus perseverat in statu ordinario sive quietis, sive motus; sublato vero aequilibrio status externus mutatur, secundum virium excessum in directione & celeritate. Ita patet, cur motus naturaliter fiat in directum, nisi quid obstet; cur in conflictu semper diagonalis inter virium directionem praeferatur; cur actio & reactio sit aequalis; cur corpus non videatur mutare statum externum, nisi cogentibus viribus externis, licet his sublatis aut valde debilitatis eum mutet vi interna. Evanescit sic apparens pugna inter status sui conservationem mutationemque, quia vis, ut attributio, nec non accidens, non migrat naturaliter e suo subiecto in aliud, nisi res una immigret, cuius est illa vis: Nequit actio externa in corpus aliud facta dici vis impressa, quum actio sit quidem a vi profecta, sed non ipsa vis. Neque haec actio alteri corpori dari posset, quod ipsa non habet, scilicet vim impressam. Posito vero, vim impressam dari, conservare eam tamen corpus non potest, quando sibi eam dare nequit, & dans nempe actio alterius confestim cessat. Si quis tibiam inflat, non conservat illa diutius tonum, quam inflatur, nec currus movetur, nisi quamdiu vires moventes in ipsum agere possunt perguntque.

## §. LXVI.

Si quis in nexu sapienti rerum mundanarum, quatenus is est mutua dependentia rerum materialium

rialium mutationumque earum caussalis, etiam nunc fatalem quaereret necessitatem, is manifesto a definitione nexus & necessitatis absolutae discederet, uti dudum illustris Wolffius ad *Metaphysicam vernaculam annotationibus* §. 176. & *sequentium* evicit. Huic nexui quoque inest continua series in rerum finitarum indole, mutuae perfectionis caussa, requisita in ordine graduum qualitatis & quantitatis naturali. Vnde *lex continuitatis* tanquam optimi ordinis naturalis & *fuga saltus*, qui naturali ordini interponenda media negligit vel omittit, innotescit. Qui hanc legem continuitatis non attenderunt, illi veras medias caussas posthabuere, vacua autem & saltus admisere in mundo citra rationem sufficientem; &, qui eam impugnarunt, aliter, ac par est, illam explicuere. Saltus igitur contrarius est perfectioni rerum naturali, quia negligit ordinem, quem ratio sufficiens & maior perfectionis gradus requirunt.

## CAPVT V.

### *De Controversiis Psychologicis.*

#### §. LXVII.

Quum per scientiam psychologicam anima substantia simplex esse debeat, vi cognoscendi praedita, & corpori suo regendo destinata:

Occur-

Occurrunt hic primo, qui talem animam dari negant, licet eandem dari facilius probetur, quam dari corpus. Neque enim quidquam reperitur, de quo vel dubitantem sua dubitatione, vel negantem sua negatione convincere eius possis, quod in dubium vocat negatve. Mirum igitur est, concedere coactos argumenta tam evidentia, tamen inficiari, animam dari tanquam substantiam simplicem. Arbitrantur enim, eam non esse, nisi potentiam materialem, seu potentiam corporis mechanicam, ac motum peculiarem subtilioris materiae & structurae corporis animalis.

## §. LXVIII.

Ne videantur precario ista statuere, negant *primo* concipi posse substantiam omnis materiae expertem; *secundo* hominem dicunt non esse nisi plantam, immo machinam seu automatum; animam vero eius potentiam illius subtilem a Deo ipsi tributam, more illorum Cartesii sectatorum, qui bestias non esse nisi machinas contendunt; *tertio* negant, animam corpus movere & regere posse, quum tantum sit substantia cogitans; *quarto* statuunt, Deum tam mirandas machinas fabricare posse, quae videantur sponte & libere agere; quae tamen non agant nisi mechanice, ope exquisitissimae dispositionis & agilitatis materiae subtilissimae. Idem, aiunt, concedere Philosophos, harmoniam praestabilitam cum Leibnitio tuentes, quum & homines fabri-

cent

cent columbas & aquilas volantes, ſtatuas commode ambulantes, & voces articulatas proferentes, item tibicines & cuculos mechanicos, item horologia muſica; *quinto* contendunt, omnes ſenſiones & cogitationes hominum non eſſe niſi motiones materiae aëreae, quae per organa ſenſoria excitentur, deferantur inde ad fibras cerebri, & inde propagentur in nervos & muſculos, quod patere dicunt in deliriis, phreneſi & caeteris. Conferantur: Zweyer Freunde vertrauter Briefwechſel vom Weſen der Seele.

## §. LXIX.

Qui negant, ſubſtantiam ſimplicem concipi poſſe, procul dubio conceptum eius quaerunt ſenſui aut phantaſiae obvium, qualis non eſt, niſi rerum valde materialium & corporearum. Talis utique de re ſimplici aeque dari nequit, ac ſi quis in circulo latera & angulos viſibiles, aut in Triangulo rotunditatem circularem requireret. Simplicia non ad imagines ſenſuum corporeas imaginationesque praeteritarum ſenſionum externarum; ſed ad intelligentiam mentis pertinent, qua novimus & corpora quaeque ſimplicibus elementis ſigillatim nulli ſenſui obviis conſtare. Senſione interna indubie mens ſibi conſcia eſt ſuarum cogitationum, quas & intelligit, dum diſtincte ſecum cogitat, quamquam tacite & ſic, ut corpus nil extrinſecus agere videatur. Quum enim conſcientia ſui, hoc eſt, ſuarum perceptionum, nullo motu corporeo,

vel

vel in infimo tantum gradu, praeſtantiſſima machina praeſtari queat; falſo ea materiali vel corporeae vi tribuitur, cui non niſi vis inertiae ad omnem cogitationem inepta aeque ac vis movendi, aut ad ſummum tantum obſcure percipiendi in elementis ſecundum Leibnitii ſententiam ineſſe deprehenditur. Immo cui prorſus repugnat vis ſentiendi & cogitandi, per §. 44. *Wolffianae Pſychologiae rationalis*, & propterea dari nullo modo poteſt, per §. 46. *ibidem.* Qui animam ſtatuunt eſſe extenſam, inteſtinisque motibus praeditam, uti *Baſedovius* in *Philalethia paſſim;* illi nec ulla idonea ratione id demonſtrant, nec eius actiones e natura extenſionis & eius agendi legibus explicare valent; aut ſi improprie loquuntur, logomachias augent.

## §. LXX.

Etſi hic nondum de beſtiarum animabus agitur, licebit tamen ideo hoc dubium occupare & refutare, quia beſtiarum par eſſe ratio dicitur ac hominum, non ſine quadam ſpecie veri. Largiendum eſt, actiones beſtiarum neceſſarias ſeu vitales, quatenus ad vitam corporis faciunt, vi potiſſimum corporea abſolvi, aeque ac in hominibus. De illis vero mutuis actionibus, quibus commercium animae & corporis abſolvitur, ſimili ſtatuendum eſt modo ac de homine, nempe, actiones corporis continuari usque ad ſedem animae, eandemque animam adficere ſic, ut ſentire motum illum ad ſe perlatum, & inde cla-

ras perceptiones de ipſo & eius origine ſua ſentiendi facultate formare poſſit; & viciſſim quoque determinatis ſponte ſua conatibus ſuis dirigere motus corporis ſpontaneos poſſit, quando nihil obſtat. Hos vero motus ſenſu perceptos non efficere motus ſpontaneos vel inde liquet, quoniam illi non tantum ab eodem obiecto ſimul in aliis individuis eiusdem naturae, ſed & in eodem individuo diverſo ſtatu & tempore non diverſi tantum, ſed & contrarii ſaepe ſunt, quum mechanici motus eodem ſemper modo ſequantur. Nec fuga lupi in ovibus, uti ſumitur, vera eſt; nec intelligi eius mechaniſmus ſic poteſt, vti explicatio eius tentatur. Conferantur fuſiores aliorum, ut *Pardieſii Nolleti Leçons Phyſiques T. I. p. 148.* huius erroris refutationes. Scriptura ſacra de vita corporis tantum dicit, eam in ſanguine, ſcilicet in circulum moto, eſſe poſitam, quod omnes concedunt. Sunt denique, qui & hoc urgent, beſtias quasdam, v. c. polypos, dividi ſic poſſe, ut partes diviſae adhuc vivant, aut redintegrentur ipſae beſtiae perfectae in plures alias: Quod iterum de vita corporea, dum durat, & de ſemine inſito prolis derivandum eſſe pateſcit.

## §. LXXI.

Quoniam falſo anima definitur per ſubſtantiam cogitantem, omnisque eius eſſentia in cogitatione ponitur; non poteſt non quoque fallere, quidquid ex ea recte concluditur. A nemine

mine enim negari poteſt, vim ſuperiorem includere inferiorem, & animam ineſſe ſuo corpori viventi, dum cum eo eſt unita, cum eodem deferri, quorſum illud movetur. Hinc & anima, uti corpus, ſuum locum proprium in mundo mutat, quoties corpus ſuum mutat, quod in ipſam agere ex adverſantium hypotheſi nequit. Quando in morte ſeparatio utriusque fit, unio tollitur, anima utique iterum locum ſuum mutat, dum diſcedit a ſuo corpore. In utroque caſu igitur anima intelligitur gaudere vi ſe movendi. Cur ergo non, uti corpora ſe invicem excitant & ſolicitant ad motum, anima quoque elementa corporis ſui ſibi proxima ſolicitare ac dirigere eo poſſet, quorſum praeſcit, illa eſſe movenda aut dirigenda, ut ſcopo ſuo potiatur? Cur non viciſſim motus ſenſoriorum deferri in recepta directione & celeritate per proxima elementa ad animam & adficere eam ſolicitando ſic poſſet, ut anima clare percipere, hoc eſt, ſentire illud & cum eo connexa cogitare poſſet? Haec enim tantum illud commercium naturale mentis & corporis requirit; reliqua ſic Deus inſtituit, ut utrobique vi propria a Deo conſervata & perpetuo concurſu ſuo gubernata abſolvi queant.

## §. LXXII.

Extra controverſiam eſt, Deum facere poſſe, quaecunque non ſunt repugnantia, & ipſi placent; item Eum feciſſe corpora animalium viva perfectiſſima nec imitabili arte mechanica, eum in

in finem, ut agant, quaecunque ipsorum vi movendi fieri possunt. Enim vero, quae sibi repugnant, ideoque fieri nequeunt, ea non sunt subiectum omnipotentiae, multo minus perfectissimae sapientiae & voluntatis. Talia vero sunt, hominem esse nudam machinam anima carentem, & tamen animal; Item, esse animal rationale, attamen mente Deo simili, qua captus sui modulum, destitutum; eum tantum vi movendi aut obscure percipiendi gaudere, & tamen sentire ac intelligere; eum esse materiam inertem, in agendo necessariam, & tamen sponte libereque ita agere, ut autor sit suarum actionum, eaeque imputari ipsi possint. Quae quum se ipsa tollant ac destruant, utique fieri nequeunt, neque ideo Deo placere, vel ab Ipso appeti aut decerni vel perpetrari possunt. Quas homines praestant, machinas, ad quandam similitudinem humanorum motuum se moventes, aut potius vi vel indita vel externa commotas, has animantium natura destitui ab omnibus intelligitur, neque animalia a quoquam rerum perito appellantur, sed potius automata. Quidquid enim agunt, id agunt necessario, semperque eodem modo, nihil vero sponte ex praevia cognitione agere valent. Leibnitiani agnoscunt, animal non fore, cui regendo anima non praeesset, sed machinam corpoream.

§. LXXIII.

Sensiones & cogitationes per agitationes materiae subtilissimae explicari posse dici nequit,

nisi

nisi de motibus impressis & in fibrillas cerebri propagatis, quos in sensu simulacra, in imaginatione vestigia vel phantasmata vocamus. Singulis ideis singulae respondent impressiones materiales vel simulacra, per §. *114. Psychologiae rationalis*. Hinc si a diversis obiectis eadem imprimitur species, idea erit eadem; si vero ab eodem obiecto sensibili diversa nascitur species impressa, ideae quoque erunt diversae, per §. *116. & seq. c. l.* Sunt igitur hae ideae per illas impressiones explicabiles, §. *131. ibidem*: & vestigia debiliori motu gaudent, quam simulacra, ideoque & phantasiae minus clarae sunt, quam ideae, per §. *230. ibidem*. Si vero vestigium parem quasi simulacris nanciscitur celeritatem, sentiri videbitur id, quod tantum imaginatio sistit, per §. *210. ibidem*, quia simulacra & vestigia haec non sunt nisi motus in cerebro aut ad summum habitus movendi: Toto coelo illa distant ab ideis & visis animi, quanquam erroneis inferiorum facultatum, cum conscientia sui coniunctis. Quod in deliriis fit, item somniis, similibusque casibus, id aperte docet, simulacra & vestigia illa falsa esse & inepta, quando non reguntur ab intellectu, sed violentis debentur impressionibus in sensoria cerebrumque factis. Tunc enim his motus & ordinis naturalis perturbationibus impedimentisque, quibus animae cogitationes per legem sensationis & imaginationis respondent, eius visa aberrant a veritate, & sic quoque delirant, seu perversa sunt invita anima & postea im-

improbante illas poenitendo, dum earum conſcia & memor evadit.

## §. LXXIV.

Alii propterea animam ſubſtantiam ſimplicem eſſe inficiantur, quia a corpore dependet anima ita, ut cum illo oriatur, creſcat, decreſcat, ſana ſit & inſana, ac ſine eo nil agere poſſit. Hinc eam vel corpoream eſſe inferunt, vel ſolam vim ſubſtantialem materiae ſubtili a Deo attributam. Eum in finem citant caſus morborum, quibus anima cauſſam dat, vel uſus rationis ſeu debilitatur, ſeu eripitur, & homines inſaniunt, vel rabidi fiunt furentesque: in quibus morbo corporis ſanato redit intellectus uſus. Vrgent quoque experimenta a chirurgo gallico Peyſſonello circa corpus calloſum cerebri inſtituta, quibus eo preſſo utcunque omnis uſus rationis ceſſavit, rediit vero illico preſſione illa ſublata. Recentius D. *Lorry* contendit, medulla oblonga ad ſecundam colli vertebram laeſa, animal illico mori; vitam vero & mentis uſum ſupereſſe, cerebro & cerebello deſtructo, aut exemto. A quibus *de Buffon* diſſentiens, ipſi diaphragmati vitae principium aſſignat.

## §. LXXV.

Enim vero ſi anima, ſpeciatim mens humana, eſt ſubſtantia ſimplex, uti eam eſſe oſtendimus, non poteſt ea aliter oriri, quam per creationem; ideoque vel in principio creationis, anima

ma debet esse creata, vel tum demum, quum corpori suo est jungenda. Posterius repugnat & rationi, quae creationem simplicium simul factam infinita vi digniorem esse ostendit, quam successivam, & revelationi, *Genes.* I, 1. II, 4. item *Num.* XVI, 22. *Esaiae* XLVIII, 13. Ideo simul cum reliquis simplicibus creatae erunt animae in principio creationis, 1 *Petr.* IV, 14. *Hebr.* XII, 9. Cui sententiae propagatio per traducem recte intellecta apprime consentit, quum & corporis elementa ac stamina inde a condito mundo adsint, & a parentibus per traducem propagentur. Neque ideo proprie crescere aut decrescere potest anima, sed habitus facultatum eius finitarum possunt & debent ulterius subinde excoli & perfici, ut corporis & incremento & decremento respondeant. Quod fit qua sensum secundum legem sensationis, sentiendi mutationes in corpore contingentes, prouti ibi contingunt; qua phantasiam secundum legem imaginationis, instaurando pristinas sensiones, uti earum vestigia in cerebro renovantur, itaque illis perturbatis somnia menti occurrunt, aut & deliria; qua appetitionem & aversationem, volendo & nolendo ea, quae per corpus praestari posse intelliguntur. Caeterum vel ipsa diversa experimenta (§. LXXIV.) ostendunt, non a corpore, sed anima proficisci sensiones & cogitationes, eam praesto esse ibi, ubi est concursus nervorum sensoriorum, exseri vero illas extrinsecus non posse, nisi per non impeditos motus voluntarios.

§. LXXVI.

Dubium hic moveri solet contra animarum creationem, quod status animarum ante generationem probari non possit, ubi & qualis fuerit, quum tamen debuerit esse omnino determinatus, ideoque explicabilis & ad finem Deo dignum comparatus; item, quod ortus hominum & aetas a nativitate numerari soleat. Posterius facile conciliatur, quia non de ortu animae, sed hominis tum quaeritur e vulgari tantum sententia, in qua & status praevius in utero inde a conceptione non attenditur, licet haud pauci homines moriantur, antequam nati sint. Prius autem nonnullis ansam dedit statuendi vel metempsychosin, vel metensomatosin, vel metastasin seu provectionem a statu elementari ad sensitivum, & ex hoc traductionem in rationalem: Quae citra errorem circa essentias commissum statui nequeunt. His omnibus igitur reiectis respondemus, certe Deo ignotum non esse statum praeexistentiae, si vel nemo hominum explicare uti elementorum ita animarum praeexistentiae & separationis a corpore statum posset. Sunt multa futurae vitae reservata. Generatim tamen liquet, quum Deus in omnibus eligat, quod optimum est factu, eum quoque cuilibet menti humanae eiusmodi statum praeparationis ad vitam hanc humanam destinasse, qui aeque omnibus aliis atque ipsi esset melior, ac diversus huius vitae separationisque animarum status praeparationi ad aeternam vitam quam optime conveniret.

ret. Conferantur *Canzii Meditationes philosophicae p. 850. usque ad 78.* ubi & dubium de infectione animarum per Adami peccatum solvitur, *p. 879. & seq.*

§. LXXVII.

Vim substantialem sine substantia, cui insit, cogitare, id vero sibi ipsi repugnat; quum vis non sit, nisi potentia essentiae seu entis sufficiens ad ea praestanda, quae per ipsum esse possunt. Sed essentiae materiali vim assignare immaterialem, tametsi per omnipotentiam, involvit repugnantiam, per §. LXXII. Absurde igitur aër & lux appellantur animae sentientes aut intelligentes; & absurdius vis corporum movendi se & alia spiritus vocatur; vel corpus omne propter vim movendi spiritu gaudere dicitur, vel constare e materia mere passiva, & activa mentis natura. Neque quidquam huc faciunt allata a *Thomasio* Scripturae sacrae dicta, *Luc.* I, 17. Cap. IV, 14. *Joan.* VI, 63. *Act.* X, 38. *Rom.* VIII, 10. *Jacob.* II, 26. *Matth.* XXVI, 44. *Luc.* VI, 19. *Genes.* I, 5. Cap. V, 15. 1 *Joan.* I, 5. quae vel de divina vi Spiritus Sancti agunt, vel de Eius donis & effectibus miraculosis, vel denique nequaquam de mente, sed de vento aliisque corporeis rebus agunt. Neque magis ad rem faciunt, quae de materia mere passiva dicuntur, & supra jam refutata sunt, quum ad substantiam omnem primigeniam requirantur duo, scilicet ens & quidem simplex idque secundo vi

praeditum. Quae de vita animalis ſ. organici corporis obiici ſolent, ea ex diſtinctiori eius vitae explanatione §. ſeq. diluo refutoque.

§. LXXVIII.

Morbi corporis ita quoque differunt, ut alii cerebri functiones intactas relinquant, & ſalvas, alii vero eas impediant, laedantve organa ſubtilia, quorum ope ſunt extrinſecus proferendae, vel & deſtruant. Quemadmodum oculis erutis viſus per eos non amplius locum habet, nec redit, dum durat coecitas corporis & animus corpori unitus manet. Quando vero & cerebri, corporis calloſi, vel medullae oblongae ad ſecundam colli vertebram, ſecundum Lorry obſervata, vel cerebelli, vel diaphragmatis praecipuae partes laeduntur, aut comprimuntur, proprie non ceſſat niſi uſus externus facultatum mentis, vel motus ille, qui citra illud impedimentum adfuiſſet, vel vita corporis duntaxat non niſi in functionum loco motivarum varietate ad communem ſcopum conſpirante, conſtans. Animae vero facultates & habitus ideo minime ceſſant, quoniam aut ſublatis impedimentis e corpore illico ut antea ſe exſerunt, aut mortuo corpore in mente reſtant, teſte Lazaro aliisque reſuſcitatis miraculoſe, *Joan.* XI, 44. &c. & argumentis immortalitatis mentis. Proſtant quoque multa exempla eorum, quorum corpus aegrotavit lethali morbo, animi tamen vires integerrimae uſque ad exitum a corpore manſerunt.

Animi vero adfectus & vitia, quatenus cum corporis extraordinario motu commercium habent indivulsum, per poenam divinam saepe coniunguntur, ut iustitia exerceatur in exemplum aliorum forte similiter officio suo defuturorum, ne id fiat.

§. LXXIX.

In aliam partem a vero discedunt, qui cum *Rüdigero* duplicem homini animam tribuunt, alteram sensitivam, cui sedem cor esse putant, alteram rationalem, seu mentem, cerebri incolam, & humanarum actionum autorem. Rationes sententiae suae adferunt: quia 1) anima tantum passive se habet sentiendo; intellectus autem sine memoria & actione concipi nequit; 2) quia anima tantum recipit ideas, & secundum illas agit, parando in foetu membra conservationi & propagationi apta; 3) quia anima simul cogitare & sentire cogitata nequit, homines tamen simul sentiant suas cogitationes & volitiones; 4) quia mens saepe vult contraria iis pravis, quae sensui & adfectibus arrident. E corde, h. e. mente, proficiscuntur pravae cogitationes, *Matth.* XVI, 19. διαλογισμοὶ πονηροί.

Sed primo sensus tantum videtur se passive habere, quum revera agat & percipiat res clare tantum, & sic quoque recordatur. Per secundum animae tribuuntur, quae illi tribui potiori jure queunt, quam soli animae sentienti, nempe formatio foetus omnium corporis organorum.

Ter-

Tertia ratio ideo nihil valet, quia anima singula tantum successive agit, ideoque simul illa agere dici nequit. In quarta ratione non sunt simul contrariae voluntates, sed appetitiones sensitivae & rationales, in modo praecognoscendi & appetendi duntaxat differentes, uti & cum in clara praesensione, tum in distincta praescientia perfectiori & imperfectiori similia contingunt.

§. LXXX.

Animam e materia prima esse factam, aeque ac elementa, qui docent cum *Rüdigero*, illi eam materiam vel universe considerant, ut substantiam extensam, & tum asserunt, quidquid rerum creatarum non est extensum, id plane nihil esse extra intellectum, & sic materialismum profitentur, supra jam refutatum; vel in illa materia singula spectant minima puncta vel simplicia physica, secundum quae mobilis est. Quae quum debeant esse ex nihilo creata, indeterminata dici nequeunt, docendumque fuisset, quomodo anima ex prima materia facta sit, aut fieri possit. Elementa, improprie dicta pro corpusculis primigeniis, dicuntur quidem inde constituta esse per motum definitum certamque figuram, de quibus nunc non est sermo. Proprie dicta si vim infimam perdere deberent, essent annihilanda, quo pacto nil ex ipsis fieri posset. Si manere debent, sunt nil nisi elementa, & vim intelligendi capere nullo modo possunt. Forsan igitur per determinatam intelligendi facultatem

anima

anima ex elemento conſtituta eſſe exiſtimetur. Sed quatenus ſubſtantia ſimplex debet eſſe anima, ſine ea facultate creari non potuit, itaque nec fieri deinceps demum poteſt e materia prima. Simul cum materia corporum prima creatam eſſe animam concedendum eſt, eamque eſſe aeque ſubſtantiam ſimplicem, uti materiae primae elementa; ſed multo his praeſtantiorem pluribusque facultatibus inſtructam, ideoque neutiquam ex elementis factam vel ſapienter formandam.

§. LXXXI.

Quando anima humana dicitur mens incompleta, hoc ſalva veritate ita explicari nequit, quaſi ſine corpore eſſe, ſaltem nil percipere, ſentire & agere poſſet; neque quaſi omnes eius facultates tantum tenderent ad corporis perfectionem: Vtrumque enim totum foret falſum. Neque iuvat ita ſentientes antiquum illud: Nihil eſſe in intellectu, quod non antea fuerit in ſenſu, quum id vix de corporibus valeat, quatenus ſenſu antea ſunt percepta. Nam proprie nihil eorum, quae in ſenſu fuere, qua tale, eſſe in intellectu poteſt. In ſenſu enim omnia ſunt confuſa; in intellectu diſtincta; ibi tantum ſingularia; hic & univerſalia, & ea quoque ſunt, quae in ſenſus per ſe cadere nequeunt, ut Deus, materia prima, entia ſimplicia, ratiocinia, ſcientiae & artes. Eatenus igitur tantum incompleta dici poteſt anima humana, quatenus ea ad regendum ac ſecum perficiendum ſuum corpus, &

& alia per illud, est destinata, vel ad edendas actiones humanas internas cum externis coniunctas & externas per corpus exserendas; quod, quamdiu impeditum vel destructum est corpus, fieri nequit.

§. LXXXII.

Quid vero habendum est de mente momentanea, quam quondam (1671) *Leibnitius in theoria motus abstracti pag. 15.* statuit? Videtur ibi sequutus esse Leibnitius vel *Campanellam*, qui *de sensu rerum & magia libros quatuor* edidit, vel, ut ipse fatetur, *Democritum, Gassendum, Cartesiumque*. Omne scilicet corpus vocat mentem momentaneam, recordatione destitutam. Quia primo: quidquid accepta laesione aegritudinem ostendit, illud sentit, si non eo, quo homines, certe aliquo gradu. Atqui plantae in gemma aut loco principaliori laesae aegritudinem marcescendo palam prae se ferunt. Ergo. Secundo: corpus in suis conatibus totius universi vicissitudinibus exacte respondet, idque sensum infert. Respondetur vero ad primum: Vti, si inhibetur elater horologii vel debilitatur, turbatur indicium horarum, nec tamen sensus horologii inde probari potest: Ita & res habet in plantis: Laesio organi vitalis plantae &c. impedit aut plane tollit eius aliorumque inde pendentium usum, sed sensus vestigium inde nullum apparet. Ad secundum: Harmonia cuiusque corporis cum vicissitudinibus universi Sapientiam Dei quidem

&

& perfectionem mundi ostendit, sensum vero pariter nullum ac in qualibet parte accurati horologii nullus sensus occurrit, etsi harmonia omnium partium cum totius horologii scopo ab horologiopoeo constituta omni dubio est maior. Dictio ergo: mens momentanea, impropria est, & pro inerti re adhibetur, uti ipse Leibnitius postea monet, & haec corrigit in *specimine dynamico.*

## §. LXXXIII.

Bestiarum anima, quidquid moliatur *Rorarius* & *Rüdigerus*, pro mente haberi nequit. Rationes contra posteriorem §. LXXIX. allatae valent & hic contra mentem brutam. Conscientia sui confusa, phantasia & memoria sensualis in bestiis nullam ostendunt facultatem intelligendi; nec sponte agendi facultas libertatem, sed vana tantum simulacri specie illudunt idiotis. Quae ingenium, judicium vel ratiocinium continere videntur in bestiarum actionibus sunt quidem intellectus Divini indicia, qui rationi summae consentanea & per elementa ac corpora praestat, sed modo agendi in his physica necessitate nixo; in bestiis autem solo sensu instinctuque naturali duce. Quod si nihil aliud probaret, inde satis luculenter pateret, quod adhibita bestiis, docilitate caeteras omnes anteeuntibus, omni disciplina, qua homines ad usum rationis perducuntur, tamen ne minimam quidem actionem humanam praestare valent, semper tantum

infra eam in ſphaera clararum quidem, ſed non niſi confuſarum agendi rationum, inprimis ſenſionum ſubſiſtentes, qua ſenſione quaedam & homines vincunt. *Rorarii* rationibus refellendis ſatisfecit *Ribovius* in ſuis ad eum annotationibus.

## §. LXXXIV.

Quibus anima humana non niſi particula aurae Divinae dicta fuit, illi vel aërem aetheremve hoc nomine inſigniverunt, & ſic materialem finxere mentem. Qui error profligatus eſt ſupra §. LXVIII. ſeq.; Vel Divinam Naturam Intelligentiamque nil putarunt eſſe niſi aetherem, in paganiſmi vel Spinoziſmi haereſi corruptum oſtendentes ingenium. Inſpiravit Deus quidem Adamo ſpiraculum vitarum, nimirum halitum oris ſeu aërem ſpirandum; ſed largitus illi quoque eſt mentem, quam creaverat, neutiquam vero partem Suae Divinitatis, utpote quae partibus caret, &, quia infinita eſt, cum finita ſubſtantia communicari nequit, utpote quae capax non eſt infiniti. Similitudo mentis cum Deo talis non datur, qualis ad emanationem mentis ex Deo inepte fingitur, imago vero Dei in mente non niſi qualitates inſignes complectitur, quatenus in mentem finitam earum perfectio cadit.

## §. LXXXV.

Libertatem voluntatis noſtrae multi impugnare conati ſunt. Dantur enim, qui Deum illam

tol-

tollere exiſtimant, quando non permittit eius abuſum. Sed hi non animadvertunt, permiſſionem denegatam plerumque non verſari niſi circa actum corporeum externum, qui utique non eſt ipſa voluntas, ſed eius tantum, quod illa voluit, extra ſe exſequutio. Actus vero externos alterius hominis vel ab alio homine impediri poſſe, omni dubio caret. Quando Deus menti non permittit, tum id facit argumentis idoneis, actibusque vel gratis, illecebris praemiorum diſtincte propoſitis, vel ingratis immiſſis, poenis nempe comminatione aut inflictione ſapienter adhibitis, prouti homines quoque aliorum animos regunt, ſalva eorum libertate. Libertatem vero menti eripere ſeu adimere eſſet eam annihilare, quod creandi conſervandique decreto ſapienti immutabili, & neutiquam poenitendo repugnat. Adhuc deterius illi errant, qui praeſcientiam Divinam officere libertati noſtrae arbitrantur, nec hanc nec illam recte intelligentes. Praeſcivit Deus omnia ab aeterno, nec ideo ea quidquam mutatum eſt in earum Eſſentia; ſic & poſt creationem nil ea mutatur in earum actualitate. Quod vel exemplo humanae praeſcientiae liquet in naturalibus moralibusque.

## §. LXXXVI.

Non eſſe libertatem niſi voluntatem ad quaecunque occurrentia indifferentem dum alii ſtatuunt, veram homini derogant libertatem. Nusquam enim cogitari aut dari libertas poteſt, niſi

ubi praevia diſtincta cognitione eligi poteſt, quod praeferendum eſſe intelligitur, vel, niſi agere quisquam poteſt ſciens volensque. Sed facultas ita agendi indifferens dici nequit, utpote quae in medio poſita neutram in partem magis propendere poſſet, itaque neutrum ne quidem praeoptaret, vel, ut ab aliis fingitur, adiaphoria ſine ulla ratione utrumque velle & nolle poſſet, nullaque ideo duceretur ratione, ſed coeco impetu vellet, quidquid vult, aut fortuito vel coacte in alterutrum ferretur, ignara, cur id nollet velletve. Libertas ergo aequilibrii perfecti, quae indifferentia vocatur, non datur, etſi ineſt libertati facultas agendi & non agendi, item, hoc vel illud ſic aut aliter agendi. Vbi animus indifferens vocatur, ibi vel comparatur cum rebus ad ſe nullo modo facientibus, vel ſibi plane ignotis. Vnde nulla praepollens ratio flectendi voluntatem ipſi occurrit. Quando autem indifferens ſtatuitur dubius is, qui, ubi paria utrinque occurrunt rationum momenta, nondum ſtatuere valet, quaenam ſibi ſint praeferenda: Tum nihil concludi aut eligi tamdiu tantum quidquam poteſt, quamdiu durant haec impedimenta, quia nequit plus eſſe in concluſione, quam in praemiſſis. Sine praepollente ratione perſpecta nemo quidquam eligit, tametſi interdum ad eam non ſatis eſt attentus, raptim tamen electionem unius ſibi judicat eſſe convenientiorem, quam alterius. Quare corruit, quod *Kingius* ait, rem placere ob electionem; item, quod *Crouſazius* putat,

putat, ſine ratione nos tum velle quidquam, pariter ac ſi coniectamus, ſitne par vel impar, quod in manu alterius eſt. Nempe ſi interna ratio a nobis non perſpicitur, utimur in electione externa quadam ratione, quae nobis occurrit, ac hic ſufficere videtur.

## §. LXXXVII.

Obiectum libertatis eſſe plura poſſibilia in facultate noſtra poſita nonnulli ideo in dubium vocant, quia alterutrum aut phyſice aut certe moraliter fieri nequit. Sed liberae actionis oppoſitum ſemper in ſe fieri poſſe vel ex eo patet, quia hae actiones ſunt contingentes, nequaquam vero abſolute neceſſariae. Si quando vires corporis deficiunt, non tamen propterea & voluntas deficiet, quae velle poteſt & ea, quae per vires corporis fieri interdum non poſſe novit, mallet tamen, ut poſſet corpore quoque ea praeſtare, ſeu mallet, ne deeſſent hae vires. Moralis autem oppoſiti perſpecta impoſſibilitas vel neceſſitas moralis non aliter agendi, itaque obligatio ad electionem, tantum abeſt, ut obſit libertati, ut potius ſine illa libertas nulla foret. Quamquam in humana & generatim finita voluntate eatenus ne moraliter quidem impoſſibile oppoſitum actionis dici poteſt, quatenus ille defectus actionis eligi poteſt, & eo ipſo errari poteſt, & peccari. Salva tantum veritate & virtute & felicitate nil tale fieri ſeu committi poteſt

aut omitti. *Matth.* XVIII, 3. *Joh.* III, 3. *Ephes.* V, 29. 2 *Timoth.* II, 13. *Jac.* I, 20.

§. LXXXVIII.

Adfertur a quibusdam principium repugnantiae tanquam libertati inimicum. Fingunt enim hi libertatem esse debere facultatem efficiendi, ut idem non sit idem, quae facultas esset absurda. Contendunt autem, per libertatem ea assumi, per quae individuum idem nequeat esse idem; assumi enim determinationes illi individuo contrarias, quasi posset & non agere, si agit; aut alia agere, ac agit, & eius determinationes singulares involvunt. Verbi causa dicunt, Abrahamum vi libertatis potuisse quoque non obedire Deo, ipsum ex Vr Chaldaeorum evocanti, itaque non fieri patrem credentium, non progenitorem Messiae, caeterorumque iis connexorum. Sed absonum dictu fore, tot tantosque eventus ex unius hominis arbitrio pendere, qui sic idem & non fuisset idem. Perperam haec statui ideo patescit, quia neutiquam concipi debet libertas, tanquam facultas efficiendi, ut idem non sit idem; sed ut facultas idem eligendi & non eligendi, vel, non idem sed alia eligendi; neque simul utrumque, sed successive, alterutrum nunc aut alias, alia nempe vel mutata electione. In exemplo adducto potius patet, Abrahamum non esse eundem futurum, nisi gaudens libertate potuisset eligere obedientiam, sed instar stipitis necessario fecisset, quae fecit.

Sine libertate igitur idem non fuisset idem, tantum abest, ut per eandem simul fuisset idem & non idem. Reliqua adducta a Dei pependere decreto sapientissimo, eiusque exsequutione, neutiquam vero ab Abrahami libertate.

## §. LXXXIX.

Omnem actionem liberam requirere caussam & rationem sufficientem alii concedunt quidem, sed inde nituntur inferre, eam fieri necessario, quia alias ex nihilo fieri deberet aliquid vi finita. Caussas totales & rationes sufficientes dicunt non relinquere actionem indeterminatam seu liberam, sed eam omnino determinare. Quod de corporibus utcunque valet. Libertatem autem relinquere animum indifferentem, & stabilire coecum Epicuri casum, quo is hoc universum ortum putat. Vti homo in creatione non fuit liber, ita eum & in conservatione liberum non esse in agendo, nec impedire posse, quominus cum tali aut alia actione detur. Verum non obstant caussae antecedaneae contingentibus mundi eventis, nec liberis hominum actionibus: Quia per priores tantum inducitur necessitas physica, per posteriores non nisi moralis: quarum utraque salvam relinquit immo adjuvat libertatem. Nec per libertatem nostram quidquam fit ex nihilo proprie dicto, sed ex pluribus aeque possibilibus eligitur, quod est in potestate finita & maxime arridet praescienti. Hypothetica tantum necessitate fiunt actus contingentes, qua

nititur libertas, utpote cui non obest, nisi necessitas absoluta. Multo minus coecus casus in libera optione dari potest, quae oculata praescientia rationum praestantiorum ad actum perducicitur. Quod Deus facit creando & conservando, id Dei quidem, non vero hominis subest libertati.

## §. XC.

Si quis arbitretur, nexum rerum mundanarum reluctante libertate hominum tolli, qui tamen a Deo sapienter est constitutus; aut actiones hominum ideo esse necessarias, quia intextae sunt nexui rerum mundanarum, & necessariis illius eventibus ac temperamento corporis sui conveniunt: Is I) non perpenderet, abutentes tantum sua libertate sibi malorum creare Iliadem, sibique melius consulere potuisse ac debuisse vi officii a Deo iniuncti; Deum autem salva mentium finitarum essentia & libertate nil melius in mundo statuere potuisse, quam statuit revera. II) Actiones liberae non insunt nexui mundi mechanico, sed logico-ethico seu morali. Mentis enim notiones non movent necessario, uti corporum vires, alia corpora movent, sed alliciunt tantum vel rationes suppeditant eligendi id, quod prae caeteris arridet. III) Conveniunt liberae actiones mentis cum Mechanismo corporis sui, verbi caussa, sensationes cum mutationibus sensoriorum; non vero absoluta necessitate, sed duntaxat hypothetica, scilicet, si mens velit

illis

illis attendere & vera potius quam falsa sectari. Pariter, quod libere vult mens, id corpus motibus voluntariis extrinsecus exsequitur. Vti si horologium libere emis, quod horas necessario indicat: sic & hic actio libera mentis a corporis motu mechanico probe est discernenda. Temperamenta corporum quidem favere vel ansam praebere possunt menti ad certas actiones; nullam vero imponere ita agendi necessitatem. Esuriens vel sitiens servus utique abstinere potest & solet a cibo & potu, qui domino est adferendus.

## §. XCI.

Libertas quando dicitur nec per experientiam patere, nec per demonstrationem: utrumque precario, aut ficulneis tantum rationibus statuitur. Lubentiam actionis concedunt haec obiicientes, nos experiri, quae vero non sit libertas, sed sic se habeat, ut, si quis naufragus a procella lubens & laetus in portum vel littus proiicitur, non vero libere agens. Respondetur vero, hanc, si qua est, esse mentis actionem externam, immo passionem veram corporis, non vero mentis, quae vis corporea agendi & patiendi in naufrago libera esse nequit. Interno tantum sensu conscii nobis experimur, libere nos eligere ea, quae praescientia duce censemus esse praeferenda. Quatenus vero mens naufragi videt, nil melius se optare posse, quam ut vivus in terram devehi posset, hoc quoque praeoptabit, si conscius sibi est suarum actionum. Demonstratio

vero libertatis in Pſychologia ex eius notis indubiis cum applicatione ad mentem ſibi conſciam ſuique compotem exhibetur, uti de Deo eadem demonſtratur in Theologia naturali. Neque recte infertur, actiones humanas ideo eſſe neceſſarias, quia ſemper ultimo intellectus practici judicio obtemperant. Id enim judicium non eſt ſine libertate formatum, nec voluntas id ſequitur abſoluta quadam neceſſitate, ſed eſt ſemper mutabilis & ambulatoria, ut in teſtamentis. Quando animus adfectibus eſt abreptus, & ſervus peccati, aut mentis impotis, tum uſus libertatis ipſi tantum deeſt, vel negligitur, non vero ipſa caret libertate.

§. XCII.

Commercium animi & corporis qui inexplicabile dicunt, facilem ſibi veniſſe viam videntur amoliendi difficultates, quibus diluendis impares ſe ſentiunt. Verum ſi de ſe tantum loquuntur, non video, quid profeſſione ſuae ignorantiae amplius faciant, quam ſi quis veterum monachorum more hodieque diceret: Graeca ſunt, non poſſunt intelligi. Si vero id velint, a nemine illud explicari poſſe, aut imitantur Sophiſtarum antiquorum inexplicabiles nugas, quae tales erant; aut Pyrrhonios agunt, contendentes, nihil certi ſaltem in hac re dari, antequam id demonſtrare poſſint. Si hoc tantum vellent, omnibus numeris abſolutam explicationem hominibus denegatam eſſe & in ſolum Deum cadere:

dere: idem fere de omnibus aliis explicationibus humanis ſtatuendum eſſet. Neque tamen hic maiores occurrunt difficultates, quam in ullo alio genere mutuarum actionum vel corporearum explicando.

## §. XCIII.

Recte *Leibnitius* Carteſianam reiecit hypotheſin, naturales finitasque actiones uni Deo vindicantem, ut ſupernaturales; quo tamen tanquam vere naturales & finitae utique ſunt indignae, licet, quidquid boni finiti ipſis ineſt, a Deo, Datore ut omnium bonorum ſic & virium, item Conſervatore ac Gubernatore habetur. Bene menti & corpori ſuam agnovit eſſe vim agendi limitatam, eamque inter ſe conſentire ad amplificandam mutuam perfectionem. Bene regimen corporis animo tribuit, ea tantum in re errans, quod putavit, corpus omnia, quae agit, per ſe ſolum mechanice agere & acturum eſſe, etiam ſi anima quantumvis ab eo remota degeret, vel nulla anima daretur, indeque inferens harmoniam praeſtabilitam. Ita enim regiminis ratio periret, utpote quod determinationem actionis externam per intellectum & voluntatem requirit, eamque decernit ſic, ut corpus ipſi reſiſtere nequeat, & ut ex ea ratio reddi illius poſſit, cur ſic nec aliter per corpus fiat. Quae ratio mutui commercii ut in omnibus rebus mundanis, optima, h. e. cauſſalis eſſe deberet, eaque perfecta, non inſufficiens ac imperfecta, v. c. exigitiva tan-

tum. Confer. *Pſychologiae empiricae Wolffianae* §. 964. Periret quoque ratio unionis corporis & mentis ſufficiens, ſi corpus ſolum ſibi jam ſufficeret ad omnes motus voluntarios per ſe edendos, quorum quisque aeque foret neceſſarius ac lapidis cadentis motus.

§. XCIV.

Illuſtris *Wolffius* dilucidat harmoniam praeſtabilitam Leibnitii (non vero praeſtabilitionem appetitionum et averſationum) quantum poteſt, eamque et Carteſianae idealiſtarumque hypotheſi et influxui phyſico ſed non recte explicato praefert. Concedit Neutono, harmoniam praeſtabilitam eſſe miraculum, ſed primigenium, in creatione iam factum §. 629. *Pſychologiae rationalis*; quia dari nequit, niſi detur Deus, eam conſtituens. Concedit porro in harmonia praeſtabilita omnia ſic evenire, ac ſi anima in corpus, et hoc in animam influeret vi ſua, ac reſiſtere animo nequeat, §. 621. *ibidem*. Item, animam aeque libere agere, actiones eius eodem iure imputari, eodem modo Deum ad actiones liberas, malas quoque, concurrere, ac in influxu phyſico, §. 632. 635. 636. *Pſychol. citatae*. Concedit, mechaniſmum corporis harmoniae praeſtabilitae nobis eſſe incomprehenſibilem, et ne in vno quidem homine explicari poſſe, etiamſi ſit vitae perbrevis, §. 637. *ibidem*. Concedit, quod in ea hypotheſi operationes gratiae duplex requirant miraculum, ubi in influxu ſimplex

ſuffi-

sufficit, corpore naturaliter agente id, quod dirigit anima conversa. §. *640.* Ideoque in fine Scholii §phi *638.* veritatis amore ductus ait, sibi perinde fore, quaecunque hypothesis vera deprehendatur. Si veram influxus physici notionem curatius eruisset explicuissetque, eidem procul dubio fuisset assensurus. Scilicet agnovisset, animam adfici vel excitari ad motum a proximis elementis, idque sentire; conniti vero sua vi ad dirigenda proxima elementa vi maiori motiva eo, quo vult, ut motus voluntarius edatur, modo is sit in potestate corporis, nec impediatur.

## §. XCV.

Quae de facultate mentis praesagiendi futura sive divinandi dudum cum *D. Rüdigero* controversa sunt, confusione laborant, e medio tollenda. Uti bestiis quaedam inest per praeterita facultas praesentiendi futura, qua, verbi caussa, pulli conspecto miluo aut clamore gallinae matris edito se abscondunt, aut apes instante pluvia redeunt ad alvearia sua: Ita et homini naturalem quandam esse facultatem praenoscendi futura illa, quae cum agnitis praeteritis praesentibusque, ipsiusque hominis salute, et vitandis illi adversis, naturalem habent nexum. Si is nexus est immutabilis, et homini pervius, certo praescire et praedicere potest futuros eventus, uti Astronomi phaenomena siderum apparitura, praedicere solent. Si vero nexus est mutabilis, homi-

homines per se non nisi verisimiliter vel hypothetice praecognoscere atque praedicere futura solent, Onirologia probabili interdum etc. si sapiunt. Deus certiora, homini impervia, eidem revelavit, quae considerare et sequi in actionibus suis debeat. Quando praenotio illa non omnino est distincta, nec nisi momentanea conscientia sui copulata, quae naturaliter habetur, ut in somnio, praenuntio futurorum, et somnambulorum statu: Divinatio naturalis sive praesagium locum habet, aut praesensio periculi futuri, uti casus anxietatis extraordinarius in itinere nautico ineundo. In iis ergo, ubi cognitio nexus deficit, vel et praenoscendorum ignoratio datur, ibi praescientia vel divinatio vera non datur. (Videatur hac de re *Canzius in meditationibus Philosophiae.*)

## §. XCVI.

Immortalitate mentem humanam gaudere eo melius perspicitur, quo rectius non sola simplicitas substantiae a Deo ipsi immutabili decreto attributa, sed potissimum essentia mentis perspecta habetur. Ea scilicet intellectu et voluntate gaudet, et in distincta cognitione, tanquam propria functione sua non eget sensu externo, non nisi confusa subministrante; (quod e novis quibusque inventis constat) ita tamen, ut ne illa quidem clara cognitio corpori sed mentis facultati et usui eius debeatur. Verum ad immortalitatem requiritur praeter perennitatem existen-

tiae

tiae a Deo sempiternum conservandae, status distinctarum perceptionum, tanquam vitae mentis subinde sapienter perficiendae: Itaque et praesentium rerum sensus certus et memoria firma indubiaque praeteritorum actuum statuumque, et praenotio futurorum fatorum in antegressis fundatorum Quae omnia a mentis natura abesse non possunt, nec debent propter perspiciendam Dei iustitiam in tali nec alia mentis sorte post hanc vitam determinanda, vel potius ab aeterno jam determinata. In isto statu vitae mentalis non potest non simul dari voluntas libera, officia erga Deum, se, et alios, pro sortis conditione seu exercitura cum summa voluptate, vitae actae, dono Dei gratuito, respondente, et beatitudinis fructu; seu aversatura, in damnationis sensu, contracto pravo habitu, intra limites, quibus a sapientia Dei coercebitur, nunquam liberanda per iustissimam poenam, gradibus cuiusque merito attemperatis. Per haec penitus corruunt ex ignorantia essentiae mentis et erroribus enata (v. *Plinii Hist. nat. L. VII. c. 53.*) dubia contra immortalitatem, quae maiori ex parte etiam contra Psychopanichitas et Hypnopsychitas excutit *Canzius Medit. philos. cap. 6. §. 1097-1106.*

## §. XCVII.

Ceterum quia mens ad regendum corpus suum est destinata, idque corpus essentiae ipsius est conforme, maioris perfectionis consequen-

dae

dae et in corpore ſuo procurandae cauſſa: quaeſtio eſt oborta, carueritne anima noſtra corpore quodam ſuo ante nativitatem et ſitne omni caritura corpore poſt mortem? In qua diluenda diſtinguunt Philoſophi inter corpus inſenſile et ſenſibile ſeu perfectius: quorum illud tantum corpuſculum audit. Corpus perfectum et ſenſus incurrens menti demum accedit per generationem, nativitatem maturitatemque aetatis, quod ei per reſurrectionem demum reſtituendum eſt, vel per transformationem in adſcenſu coelorum. Corpuſculum vero eius inſenſile iam in creatione illi uti ſeminibus viventium quorumque *Geneſ.* I. 12. 22. deſtinatum adiunctumque videtur, tot elementis, quot circumdare mentem eique ad ſingulas functiones peragendas quam optime inſervire per omnem vitam eius poſſunt. Propter diverſitatem elementorum neceſſariam fieri non poteſt, ut omnia cuilibet menti aeque conveniant, ſed cuique alia melius convenient, quam ulli alii in omni mutationum ſerie extitura. Quum corpus perfectius idem ſemper homini ſit et maneat, qua partes eius eſſentiales, idemque illi ſit reddendum poſt hanc vitam: non mutabilis quaedam elementorum cohors et ſeries corpuſculum animi conſtituere intelligitur, (uti metempſychoſis et metenſomatiſis fingit) ſed eadem, quae ipſi prae caeteris ſemper conſpirat, et aethereis elementis utpote omnium validiſſimis et velociſſimis conſtat. Id quod et cum corporis ſpiritualis incorruptibilis

nulla

nulla alimento egentis, sublata crassiori textura, nova constitutione pervadentis! quaeque alia, et splendore suo fulgentis indole apprime consentit.

## CAPVT VI.

### *De Controversiis Theologicis.*

### §. XCVIII.

Circa controversias theologicas breviores esse propterea possumus, quod otium fere hic nobis fecit pars secunda theologiae naturalis Wolffianae. Ibi enim refutatur atheismus, fatalismus, deismus, naturalismus, *ανθρωπομορφισμος*, materialismus, idealismus, paganismus seu gentilismus, manichaeismus, spinozismus, et epicureismus. Pauca igitur hic tantum, restant quasi spicilegia controversiarum, ex parte Cel. *Canzii meditationibus philosophicis in Theol. natural.* conformata.

### §. XCIX.

Primum disceptatur, num existentia Dei a priori probari possit? Quod qui negant, dicunt, existentiam Dei vel demonstrari ex contemplatione mundi adspectabilis, vel ex notione Entis perfectissimi. Hanc quidem vulgo dici demonstrationem eius a priori, sed quia constare nequeat,

queat, quale sit Ens perfectissimum, nisi quatenus attributa eius illimitata colliguntur ex iis, quae animae insunt, realitatibus limitatis: Rectius dici & hanc demonstrationem non minus a posteriori, quoniam ex contemplatione huius mundi derivatur. Sic sciscit *praefatio partis secundae Theologiae naturalis Wolffianae* & approbat *Thomae Aquinatis* sententiam, quae est, existentiam Dei a priori demonstrari non posse; Entis perfectissimi notionem formari a nobis arbitraria determinatione, inde eius possibilitatem prius esse evincendam. Quo facto attributa Dei facilius colliguntur, quam ex contingentia mundi universi. Enimvero etsi extra Deum nil ipso prius, nulla eius causa dari potest; quia tamen in Deo nihil prius esse potest Ipsius Essentia, seu interna possibilitate absoluta: si hanc pro captus nostri modulo distincte concipimus, etsi comprehendere nequimus, ex illa demonstrando existentiam, ut Eius attributum, utique a priori Eam demonstramus, uti omnia rei attributa ex essentia eius a priori demonstrari, negari nequit directe (§. 549. 562. *Logic.*) Hoc igitur fit, dum demonstramus, nihil prorsus existere posse, nisi existit Ens infinitum vel a se, rationem existentiae suae in Essentia Sua habens. Id quod & atheus admittere cogitur, falso mundum pro eo habens. Hinc §. 227. *loco citato*, demonstratur, Deum ideo existere, quia est possibilis, adderem ego, quia absolute necessarius est, & non potest non dari Ens a se, neque id aliud esse, quam Deus.

§. C.

§. C.

Quaenam ſit Eſſentia Dei captus noſtri modulo pervia, non una eſt omnium ſententia. Illuſtris *Wolffius* eſſentialem definitionem refert ad nominalem, ideoque §. 5. *Partis I. Theologiae naturalis* monet, eam debere eſſe eiusmodi, e qua Exiſtentia Dei ſit demonſtranda, itaque non perinde eſſe, quamcunque eligamus, ſed talem ſeligendam eſſe, qualem requirit dicta exiſtentiae demonſtratio. Poſt ea Deum dicit §. 67. Ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens huius mundi & animarum noſtrarum, additque, propter idealiſtas poſteriora verba adiecta eſſe. Tandem §. 1094. ſtatuit, Eſſentiam Dei conſiſtere in vi repraeſentativa omnium mundorum poſſibilium diſtincta prorſus & ſimultanea. Hac enim Illum differre ab omnibus aliis rebus, & ex hac reliqua demonſtrari poſſe, quae Illi inſunt, modo eam intuitive cognoſceremus. Defectu autem intuitivae cognitionis Dei libertatem & creandi potentiam rectius a poſteriori cognoſci. De illa definitione, qua Deus Ens Perfectiſſimum dicitur, idem cenſet, & reprehendit eos, qui omnia attributa Dei idem eſſe cum Eſſentia Divina audientes, male complexum omnium attributorum Divinorum pro Eſſentia Divina accepere. Haec penſitantibus manifeſtum erit, Eſſentiam Divinam in *Mente Infinita* poſitam eſſe, utpote e qua ſubſtantia intelligens & perſpiciens omnia cognoſcibilia ſimul & diſtinctiſſime, non tantum omnium mundorum poſſi-

bilium, qui non nisi finita complecti possunt, sed & omnium infinitorum, quae soli Deo inesse debent & possunt, una cum potentia creandi, voluntateque liberrima, & cuncta alia, quae Deo tribuenda sunt, innotescunt. Infinitatem seu infinitionem pro universitate omnium & immutabilitate absoluta Philosophi omnis aevi agnoverunt. Cuius necessitas inde liquet, quia finitum nihil esse potest, nisi infinitum Ens datur, omnium limitum seu imperfectionum expers, omniumque finitorum Autor & Effector.

§. CI.

Quum proprie Infinitum verum non nisi in vno Deo detur, per §. C. non accurate satis Infinitum id dicitur, quo maius in suo genere cogitari nequit. Sic enim & in extensione infiniti quidquam & maximum cum Mathematicis nonnulli ponunt, putantque, infinitam quoque extensionem Deo esse tribuendam, de qua sententia statim plura adferentur. Omnis nempe extensio finita involvit, eaque extra se invicem posita, attamen unita, & sic impenetrabilia, ut alia excludant, ideoque, si existere debet omnino determinata, suis ubique terminis (possibilibus) gaudens & divisibilis esse debet. Quae omnia verae Infinitati repugnant. Quare Infinitas genuina omnes perfectiones absolutas, summas, illimitatas & pariter infinitas requirit & includit, nec quidquam, nisi defectus & limites excludit, vel capere nequit.

Quo ipſo corruit inanis obiectio: Si Deus eſſet Ens Infinitum, omnes habens perfectiones, nihil pro aliis rebus relinqui extra Ipſum; utpote qua finitae perfectiones confunduntur cum infinitis. Cui obiectioni ſimilis eſt at ineptior ille error, Deo per creationem acceſſiſſe perfectiones omnium rerum creatarum. Speciosior prima fronte eſt is: Cui omnia inſunt ſimul, quae ineſſe poſſunt, Illi etiam ab aeterno ineſt creatio; ubi decretum creandi aeternum confunditur cum eius exſequutione in tempore, quod ante mundum non fuit, ſed cum mundo creato demum coepit. Item: Si creatio Dei & conſervatio eſt actio finita, Deus non poteſt eſſe infinitus: Eſt enim actio Dei qua talis Infinita e nihilo ſimul praeſtans omnia, quae ſapienter ſimul fieri & eſſe poſſunt, finita; ſed effectus eius in rebus creatis nequit eſſe niſi finitus, quia hae res non niſi finita capere valent. Qui denique arguunt: Si Deus eſt Infinitus, Illi & praeteritas & futuras res ita fore praeſentes, ut nullum inter eas appareat diſcrimen; illi hoc abſurdum in rebus finitis tantum obvium perperam transferunt in Dei infinitionem.

## §. CII.

Quia attributa ſunt peculia eſſentiae, quae per eam determinantur, eique neceſſario inſunt, Dei attributa tanquam ſubſtantiae ſimpliciſſimae & infinitae neceſſariae erunt relationes Divinae Eſſentiae & Naturae in alio alioque conſiderandi

modo spectatae, partim theoretice aut practice, partim absolute aut hypothetice. Circa quaestionem, quomodo differant haec attributa ab Essentia; alii solo nomine, alii re ipsa ab ea differre statuunt. Illi dicunt: Quidquid in Deo est, unum est idemque in se; itaque re ipsa non differunt attributa ab Essentia, sed nominetenus tantum ab illa discernuntur. Verbi gratia, Misericordia, Charitas, Iustitia, est Ipse Deus, qua Essentiam Suam, in alia tantum conditione & relatione considerata. Hi vero respondent, non quidem plura extra se invicem in Deo posita esse; hoc tamen non obstare, quo minus & intra se invicem comprehensa alias aliasque determinationes reales, notas, & relationes ad se invicem & varia obiecta inferant. Nostro sane concipiendi modo Essentia continet in se prius quidpiam, complectens Naturam atque rationem attributorum, cur inesse & tribui illi debeant, nequeant vero ab illa abesse; quod, quum non fingatur, sed in re verum sit, ut reale discrimen merito concipitur, aeque ac possibilitas natura prior est actualitate seu existentia, licet non tempore, nisi in solis finitis rebus. Praestat igitur abstinere a sola nominali differentia in Deo statuenda, etsi ea ab errore utcunque liberatur.

## §. CIII.

Cum Infinitate Dei coniunctam Immensitatem nonnulli explicant, ut vacuum reale, in quo sit hic mundus, secundum antiquum illud: In Deo vivi-

vivimus, movemur & sumus. *Actor*. XVI, 28. Horum partes defendendas nuper suscepit *Scavella in Physica generali pag.* 15. *usque ad* 18. Possibilitatem vacui nititur probare inde, quia *primo* eius impossibilitas nequit ostendi. Negat enim, id simul fore aliquid & nihil, seu uniuscuiusque corporis negationem, & tamen extensionem triplicem: Distinguendo inter actum & potentiam. Vbi potentia recipiendi extensa, quae non nisi in rebus extensis datur & passiva est, confunditur cum potentia absoluta & activa creandi. Ipse quidem priorem negat pugnare cum Essentia Dei, quum sit verum Ens, seu negatio negationis. Quod etsi aequissime capimus pro negatione imperfectionis; tamen non sequitur, quidquid est negatio imperfectionis, id propterea est perfectio infinita, aut in Deo datur, quum tantum finita esse possit, qualis potentia recipiendi extensa reapse est, quae pariter in Deum non cadit. Nec extricat se per illud scholasticum: Deus est totus in toto mundo, & totus in qualibet eius parte, quod vix aliud notare potest, sano sensu, quam vim Dei infinitam aeque in toto universo & quolibet alio toto patere, ac in qualibet eius parte; si diffusionem essentiae innuere debet in mundo adspectabili, implicare absona statim liquet, si ad alios mundos possibiles applicetur. Nec tollit obiectionem, vacuum tale simul fore finitum & infinitum, eique veram ternam expansionem convenire, per absonam di-

distinctionem inter spatium extrinsecus finitum & intrinsecus infinitum.

*Secundo*, adversus impossibilem loci & situs mutationem in vacuo, eo pugnat argumento, plane dispari, quia motus & in pleno dari potest, ubi omnia se tangunt, multo magis igitur in vacuo, ubi nil ipsi obstare potest. Ubi temere supponitur, dari vacuum posse; aut de motu per errorem ficto, non de vero agitur. *Tertio*, quia corpus in extima mundi superficie positum moveri potest & extra mundum in vacuum, ubi nil ipsi obnititur. Quae ambae opiniones purae sunt fictiones, ad possibilitatem motus rerum mobilium, antequam existunt, pertinentes, de qua non disputatur, sed de eo, an in Immensitate Dei motus, uti in vero extenso (materiali) loco fieri possit, quod ἀσύςατα fingendo non conficitur.

## §. CIV.

Nequit igitur cum ipso concludi §. *12.* vacuum esse infinitum, sive mundus statuatur finitus, sive infinitus, etsi recte dicitur, immensitatem Dei esse infinitam, quae vacuum vocari nequit. Neque §. *13.* Leibnitium aliorumque rationem convellit, nullam rationem sufficientem fore, cur quidquam, vel & mundus, potius in uno quam in alio loco poneretur, per id, quod inane non sit extensum actuale, quod plura habeat loca, partes & plagas. Quid enim erit potentiale vacuum, nisi omnipotentia & vis infinita, cui vacuum

cuum repugnat? Neque tollit Spinozismi notam §. 14. illi sententiae recte inustam, qua Deus substantia spatii, materiae & extensionis statuitur, omnia permeans & in se continens, per hoc: Quod duae substantiae sese compenetrantes non sint una eademque, & quod praesentia Dei intima detur, sed nusquam circumscripta. Haec enim per vim infinitam datur, non per spatium inane; & compenetratio non est nisi absurda chimaera; aut abstractio mathematica, fingens, quae esse nequeunt, nisi sat imperite aër aut aether pro nihilo seu vacuo sumatur.

Alii extensionem infinitam Deo ideo tribuunt, quia negant, Deum spectari posse ut punctum vel physicum vel mathematicum, quod est vel negatio vel pars extima lineae; quoniam infinitas vera in perfectione qualitatum, non in quantitatis termino aut extensione dari potest, utpote quae indivisibilem extensionem complecti deberet, quod absonum est, quia extensio ubique est divisibilis, & alias quaelibet mundi pars contineret Deum, essetque adorabilis, secundum errorem Paganorum. Beatus *Moshemius in annotationibus ad Cudworthi Systema intellectuale pag. 776. seqq.* concedere fere videtur, spatium absolutum esse Dei attributum, seu Immensitatem, de cuius Infinitate dubitari nequeat; sed precario sumitur spatium absolutum, seu infinitum, quod dari nequit, id quod tandem cum Cudwortho approbat. Aeque male loquuntur

Carteſiani quidam, qui, quum Deo localis (corporeo loco occupato incluſa) praeſentia tribui nequeat, dicunt, Deum eſſe nullibi (pro hoc, nullo in loco extenſo) ut animae; ac qui dicunt, eſſe eum in puncto imaginario ſ. mathematico. Quia tamen Deus praeſens eſt rebus in loco exiſtentibus, *Thomas de Aquino*, & *Wolffius* cum ipſo ſtatuunt, Deum & caetera ſimplicia ſingulatim ſumta eſſe *ut in loco*, h. e. aliis rebus in loco materiali ſitis praeſentia.

## §. CV.

Jam de aeternitate Dei nonnulli ita ſtatuunt, ac ſi illa non eſſet niſi duratio initii expers finisque, accepta duratione pro perſeveratione exiſtentiae. (Quae explicatio ambigua manet, etiamſi per & a ſe dari dicatur.) Tempus dicunt illi vel in ſe & ſimpliciter ſpectari vel comparate in rebus, quae cum tempore procedunt. In ſe id eſſe durationem, quae tamen ad res refertur, non vero abſtracte ſine rebus conſideratur, quum ſine rebus inane foret vocabulum. Si ad res refertur, eſt perſeveratio exiſtentiae earum. Pari modo, aiunt, aeternitas in Deo quidem noſcitur, quid ſit, ſed ſimpliciter & in ſe quid eſſe debeat, non liquet nobis, quum hebeſcat ibi animus noſter in immenſam durationem intuiturus, nec capiat, an in ſe ſpectata differre a Deo poſſit. Pergunt, ſi abſolutum tempus ſtatuitur, id dici poſſe infinitum, *quia id tempus, quod vivimus, quodque durant res finitae, non differt in*

*ſe*

*ſe ab aeternitate, verum ad infinitam durationem pertinet, & noſtro concipiendi modo pars portioque eſt aeternitatis, tametſi proprie nullae aeternitatis ſeu infinitae durationis partes ſunt.* Illud autem tempus, quod ad creatas refertur res, nulla ratione cum Infinitate componi poteſt, utpote quod non ante coepit, quam res exiſtere coeperunt. Hinc quaeſtio minime obtuſa vocatur, an abſoluta ſit temporis & infiniti diſſimilitudo, an interior modus utriusque idem ſit, & Deus ſe ita habeat in aeternitate ac res creatae in tempore? item, an nulla ſucceſſio & durationis continuatio, nulla momenta & intervalla ſint in aeternitate? de qua quaeſtione dirimenda ſtatuunt jam per multa ſaecula elaboratum eſſe, aliis ſucceſſionem in aeternitate admittentibus, aliis negantibus cum Platone, qui illam ut punctum fixumque momentum cum tempore coexiſtens ſpectavit.

Reſponſio ad has quaeſtiones non adeo difficilis videtur, modo aeternitatem Dei infinitam immutabilemque exiſtentiam cogitemus, quae ſimul habet, quidquid habere poteſt, itaque nulla capit ſucceſſionis ullius momenta vel intervalla, immo nullius mutationis umbram. Sed ſucceſſio ſine mutatione exiſtentiae praeteritae, praeſentis & futurae concipi nequit. Duratio igitur ipſi non in ſe, ſed ratione rerum mundanarum tribuitur, uti creatio vel conſervatio. Perſeveratio exiſtentiae ſi non eſt continuatio ſucceſſionis, ſed abſoluta exiſtentiae immutabilitas,

haec potius quam ambigua illa aeternitati tribuenda eſt.

## §. CVI.

Infinitae divinae praeſentiae, quae Omnipraeſentia dici ſolet, partim eadem obvertuntur, quae de immenſitate diluimus (§. CIII.); partim alia quaedam, quatenus haec mundum iam conditum requirit. Obiiciunt nonnulli primo, niſi illa accipiatur pro ſubſtantiali exiſtentia ubique intime obvia praeſentique, & (αδιαστασια) propinquitate nusquam nullatenus ab ulla re diſtante, illam confundi cum operatione Dei infinita, qua intellectum & voluntatem in rebus finitis. *Secundo* dari praeſentiam ſine operatione obviam, ut inter numeros, puncta, atomos, lineas, animas, monades praeſentes, quae nihil in ſe invicem agant.

Sed, ut poſterius tantum valet de rebus finitis, vi aut deſtitutis aut non utentibus, ubi illis uti deberent, aut inertibus & impotibus, quarum defectus cadere in Deum nequeunt; ita prius recte explicatum includitur in divina actione; ſed ſi ad extenſam & materialem diffuſionem ſubſtantiae refertur, ne quidem in rebus finitis neceſſarium eſt, ut nempe, quidquid aliud cognoſcere aut in illud agere debet, locotenus nihil abſit ab eo, in quod agere debet. Quisquis docet viva voce, is docet utique alios a ſe magis minusve diſtantes, ad quos ope aëris vox eius clare deferri poteſt, & hi tamen omnes ipſi ſunt praeſentes.

ſentes. Scriptis ſuis docet & longiſſime a ſe abſentes, & poſteros omnes, qui legere illa volent. Sol agit in nos integramque tellurem, & reliquum ſatellitium ſuum, illuminando, calefaciendo, movendo & animando, licet a nobis undecim fere millibus diametrorum telluris, & ab aliis ſatellitibus ſolis multo longius diſtet.

Nec ſanus quisquam ad praeſentiam alterius hominis requirit, ut vel alter in ſe vel ipſe in altero ſit, ſed tantum, ut ita coexiſtat, quo agere in ipſum indubie poſſit. Finita igitur vis, quae in multa agere poteſt, gaudet dicta a nonnullis minus latine multipraeſentia: Infinita Dei vis, quae in omnia agere poteſt, in quae vult, vel quae creavit, & indeſinenter in ea ubique ſimul agit, omnipraeſentia gaudet, vi Infinitatis Eſſentiae, Naturae, Attributorumque, nec eget extenſione materiali & locali αδιαςασια ad id, ut alicubi agat. Haec vis intime praeſens eſt, quatenus in abditiſſimis minimisque rebus, ſeu monadibus earumque vi & ſerie mutationum omni nihil eſt, quod illi non eſſet diſtinctiſſime perſpectum, aut non ab illa haberet, quidquid boni habet in Eſſentia, attributis, vi, & actionibus captuque, ſeu non ſubeſſet eius providentiae, concurſui, gubernationique ſapientiſſimae, nec ab ipſo acciperet, vel per Ipſummet quae aliunde habere nequit, bona vel per alia, quae per illa ipſi praeberi poſſunt debentque.

§. CVII

§. CVII.

Intellectum Dei infinitum impugnant, qui illum *Primo* egere & uti ſtatuunt ſenſorio quodam, nempe ſpatio abſoluto, in quo omnia ſentiat & intelligat, item, ut ſenſoria & ſenſus aliis dare poſſit. *Secundo*, qui illum ſucceſſive more humano res cognoſcere & ratiocinari ſtatuunt, cum Socinianis. *Tertio*, qui illi arbitrariam tribuunt cognitionem cum Poireto, per quam displicentia & ſe indigna nolit noſſe, ſed tantum placentia in liberis creaturarum actionibus. *Quarto*, qui illum mutare ſua conſilia arbitrantur.

Enim vero reſpondemus ad *primum*, nullo indiget infinitus intellectus ſenſorio, utpote confuſionis tantum fonte; nec illo vacuo abſoluto, quo nihil ineptius ad ſenſorium fingi poteſt. Si vero Immenſitas ſtatuitur illud ſenſorium, admodum inepte unum attributum alterius erit ſenſorium. Ad *ſecundum* falſum eſſe principium illud, nullum indeterminatum ſciri poſſe, ſed tantum determinatum, ut Sociniani putant, cum ne de homine quidem verum ſit, illum genera indeterminata, ſpecies nondum quoad individua determinatas, invenire ac in artibus & ſcientiis docere & diſcere poſſe; & cum ſucceſſio cognitionis infinitatem tollat, futura contingentia homini quidem videntur indeterminata, Deo nequaquam, qui omnium perſpicit rationes determinatas. Ad *tertium*, eſt quidem humana cognitio contingens & arbitraria; divina autem Deo eſt eſſentialis, ſine qua non eſſet Deus, nec quid-

quam

quam Omniſcientia indignum dici poteſt, niſi defectus perfectae omnium cognitionis, vel infinitae Perfectionis. Ingrata cognitu hominibus ſunt moleſta, propter limitationes & diminutiones ſuae perfectionis finitae, quae in Deum cadere nequit. Ad *quartum*, proprie non mutat Deus conſilia ſua unquam, ſed quae hypothetica ſunt conſilia vel decreta, ea declarat & implet pro conditionum ratione, quibus nituntur. Neque Deus peccatis proprie contriſtari aut poenitentia factorum hominum duci ſtatuitur, ſed improprie, eaque, ac exploratio hominum, more loquendi humano Ipſi tribuuntur.

## §. CVIII.

Praeſcientia divina impugnari ſolet, *primo* propterea, quia finita ſunt fortuita & contingentia, nec ideo praeſciri poſſunt. Reſpondetur enim, haec tantum de intellectu finito valere, nequaquam de Infinito.

*Secundo*, praeſcibilitas dicitur vel neceſſaria ſeu interna, tanquam cognitio eorum, quae rebus non poſſunt non ineſſe, ob quae poſſibilium alterum altero in ſe ad exiſtentiam eligibilius & Deo dignius ſit; vel externa, qua, quid Deus decreverit, ut ſe digniſſimum, utique optime ſcit. Hinc arguunt, aut Deus res futuras praeſcit, ante ſuum decretum, aut demum poſt illud. Si illud, futurae ſunt res ex ſe ipſis ſine dependentia a Deo, quod eſt abſurdum. Si hoc, omnis conditio praeviſa a decreto Dei pendet,

nec

nec ſine decreto praevideri potuit. Conditio ergo ſequitur, non antecedit decretum, & ſic nulla voluntas Dei erit hypothetica, ſed omnis abſoluta. Reſpondetur vero: praeſcientia eligendorum utique eſt natura prior, non tempore; electorum natura poſterior, utraque vero aeterna in ſe & ſimul in Deo.

*Tertio*, omnes veritates pendent omnino a Deo, Eiusque praeſcientia: Ergo non ſunt in rebus ipſis, vel ut ex ſe ipſis determinatae. Reſpondetur: Pendent ab Eſſentia & Intellectu Dei, quatenus habent ſuam eſſentiam & poſſibilitatem, ideoque & pendent a Praeſcientia; neque eo ſecius per ipſam internam rerum posſibilitatem praeſciuntur, ut posſibiles, ſed ſine ſuccesſiva ratiocinatione, nec tanquam Deo priores.

*Quarto*: per praeſcientiam, quae falli nequit, introducitur omnium rerum necesſitas abſoluta, tollitur ergo contingentia & libertas voluntatis. Reſpondetur, infallibilitas praeſcientiae eſt Dei attributum, quod rerum finitarum naturam relinquit ſalvam, qualis in ſe eſt, utpote cui abſoluta necesſitas ineſſe nequit. Idcirco praeſcit Deus Eſſentias quoque, naturas & attributa finitorum ut immutabilia in illis, qua eſſentiam, ſed contingentia, qua exiſtentiam, & mutationes quasque, & eatenus finita ut mutabilia per ſe praeſcit, nec niſi hypothetice neceſſaria ſeu futura ſeu non futura.

*Quinto:* Praeſcientiam mediam futurorum ſub conditione non eventura male illi interpretantur,

tantur, qui per eam, putant, gratiam divinam illis denegandam fuisse, qui ea essent abusuri: quasi ipsi rectius scirent, quid praeferendum sit in mundo, quam Deus. Alii illam negant, quia conditio talis vel est tantum possibilis, vel et eventura. Priori casu negant, ea dici posse futura eveniente conditione; posteriori non sunt possibilia eventu tantum, sed futura. Respondetur autem, primo: Utique ea non solum sunt possibilia, sed & eventura, si conditio eorum emergat, maneat, vel non mutetur: Secundo futura, antequam fiunt, omnia utique sunt possibilia hypothetice, hoc est, sub sua conditione eventura.

## §. CIX.

Sapientiae Dei summae obstare quidam cum Poireto putant, *primo* finem, in Gloria Dei, seu manifestatione & demonstratione summarum perfectionum per creaturarum perfectionem positum: quia illa Deus non eget, nec ideo opus esset, ut existeret mundus, nil Deo addere valens. Respondetur autem: non capienda est Gloria Dei pro adfectu, vel laudum immeritarum aviditate, quae Deo utique repugnaret. Infinitarum autem perfectionum demonstratio tanta est in mundo, quanta fieri potest, qua etsi Deus non eget, egent tamen res creatae, nihil alias habiturae bonorum, quae iam habent, summa Sapientia & Bonitate ad optima, quae explere poterant & debebant, destinata. Idcirco communi-

municavit Deus cum ipsis sua bona, quotquot erant communicabilia, finita quidem, limitata tantum & propterea imperfecta; tot tamen & tanta, ut coniunctim Infinitum Autorem loquantur semper & ubique.

Nec opus est Gloriae Dei causa, ut res creatae omnia Dei opera comprehendere possint, sed potius, ut nequeant ad Infinitatem inde palpandam. Est Gloriae Dei agnitio & celebratio in mentibus creatis finita & arbitraria, sed talis esse debet in liberis actionibus, nec absolute necessaria esse potest, nisi in illis, quae sunt in ipsis absolute necessaria, scilicet, essentialibus & attributis. Nec Deo perinde est, deturne Ipsi Gloria, nec ne; quia est in officio, res creatas perficiente. Gloria Dei in mentibus creatis est externa, sed non ideo Deo indigna, nec tam in actuali cognitione finita, quam potius in rerum creatarum habilitate ad ostendendam perfectionum Divinarum Amplitudinem intellectui cuique, non solum humano.

Negant *secundo*, omnes Dei Perfectiones patefieri & demonstrari per res creatas posse, verbi gratia, Aeternitatem, cuius nullum in mundo dari vestigium possit. Respondetur autem: Realia quidem vestigia non capiunt res finitae, attamen dantur in ipsis vestigia logica Aeternitatis, nempe in mundi contingentia, quae suppeditat argumenta, e quibus Dei absoluta actus Necessitas, hoc est, Aeternitas demonstrari

possit.

possit. Confer. Epist. *ad Rom.* I, 20. Sic & Incomprehensibilitas Dei elucet ex illis, quae ne quidem in mundo perfecte comprehenduntur, aut comprehendi possunt, ut mundi amplitudo; ratio motuum sidereorum & variationum omnium; intime perspectum nostrae & aliorum mentis scrutinium omnibus numeris absolutum.

*Tertio* negant quidam cum *Cartesio Lib. I. Principior. n. 18.* fines Dei & usus rerum posse cognosci a nobis, quum nemo sit consiliorum Dei particeps, itaque arrogantia foret, illos rimari, aut sibi perspectos dicere, quum sint mysteria naturae; item, qui statuuntur fines rerum ab hominibus, fortuiti sunt, & ab hominibus mutabiles, ergo non divini. Respondetur vero: Quatenus Deus fines suos patefecit per bonitatem & utilitatem rerum creatarum; eatenus utique a nobis sunt investigandi, ut Deus eo rectius agnoscatur, laudetur, & ut legi naturae pareamus, quae illa officia inculcat. Vltimus omnium operum Dei finis est exploratus; intermedii vero complures subinde ulterius sunt explorandi, captis experimentis augendae felicitatis caussa, & ut officiis, ut par est, vacemus.

## §. CX.

Contra Dei Voluntatem hoc *primo* obvertitur: Omnis Voluntas fertur in bonum, & laborat

borat de eo obtinendo, quo caret. Deus vero nulla re bona caret. Ergo nulla Ipsi est voluntas. Respondetur: Infinita Voluntas non fertur necessario in bonum obtinendum, sed & in retinendum vel impertiendum aliis, & quando fertur in bonum obtinendum, non in sibi, sed creatis rebus praestandum fertur: Quia in Se omnia & summa bona a Se ab aeterno & immutabiliter habet.

II. Voluntatem nullam ferri in id, quod novit, se non esse consequuturam. Sed de Voluntate Dei statui, eam ferri in id, quod non fiet ideoque effectu caret. Respondetur: Vtique Deus ex asse obtinet, quod vult fieri & potest in optimo ordine finitorum. Quando enim finita voluntas non facit, quod debet, & quod vult Infinita: Divina Voluntas ab aeterno est disiunctiva, scilicet, ut recte agendo finita voluntas praemia, prave agendo poenas promeritas consequatur, & neutrum effectu caret, sed perstat in his quoque consilium & decretum Divinum. Male fingitur voluntas Dei aut improvida in his casibus, aut impotens, quando non fiunt, quae fieri vult: quia nihil de his, quae libere fieri debent, absolute vult & velle potest.

III. Deus decernit id, quod fieri vult, aut permittere, sed non decernit id, quod non vult. Ergo non futura nolle censendus est, ut fiant. Respondetur: Negando consequutionem. Decernit

cernit quoque, quae nolit fieri, & quod decretum eſt exercitium Voluntatis de producendis ad exiſtentiam finitis bonis, quae Sapientia reliquis praefert; itaque vel verſatur circa ipſa Dei facta in mundo; vel circa bona facta libere agentium finitorum, vel circa impeditionem aut permiſſionem pravorum, quae non vult fieri, ſecundum ſummae Sapientiae legem. Ergo in omnibus decernit id, quod fieri vult, vel non fieri.

IV. Dei Voluntas pro ſola ratione habet εὐδοκίαν, beneplacitum, nec reſpicit alias rationes extra ſe, a quibus quaſi dependeret Eius Voluntas. Reſpondetur: Sic Voluntas Dei foret imperfecta, non vero omnium rationum momentis intenta, quod vel in humana voluntate vitioſum eſt, & errores parit. Ne homo quidem pendet a rationibus ſuae voluntatis, niſi tunc, quando illae ab alio ipſi ſunt ſuggerendae, aut ſuggeſtae, & ipſe eas non attendiſſet. Dependentia infert defectum eius, quod quis capere valet quidem, ſed ipſi ab alio eſt dandum accipiendumque, eo quod a ſe id habere nequit. Omnes vero res creatae ſuam eſſentiam, exiſtentiam & naturam, omnes ideo agendi rationes a Divino Numine habent, ideoque humana Voluntas Divinam Ducem ſequi debet.

V. Voluntas Dei nequit adfici ulla bonitate exteriori, itaque omnis rerum bonitas ab ipſa

Divina Voluntate pendet. Omnino, respondetur, natura prior est perspecta ab Intellectu Divino bonitas rerum, quam a voluntate eligitur, etsi actus uterque in se idem, simul & aeternus in Deo sit. Est enim omnis bonitas rerum finitarum a Divino Intellectu, qua possibilitatem, a Voluntate Divina, qua decretum aeternum eas producendi, a vi infinita, qua creationem & conservationem seu exsequutionem decreti.

§. CXI.

Libertati Voluntatis Divinae opponitur *primo*, Illi derogare, si melius ob rationes praevalentes insitas rebus semper sit eligendum, potius enim putant, Ipsi integrum esse & proprium inter perfecte aequipollentia alterum pro lubitu praeferre. Neque enim sic irrationali modo agi a voluntate indifferente ob rationum aequilibrium. Sed respondetur: Indifferentia illa, quae hic fingitur, non est, nisi vel error, vel ignorantia rerum. Potius illi derogaretur, si tam imperfecta esset, ut ob nullas rationes coeco impetu quidquam eligeret, aut deterius meliori, peccatorum instar praeponeret. Absurda scilicet vel in homine foret electio, si non alia aut melior eius datur ratio, quam possibilitas electionis utriusque & impetus arbitrii qualiscunque.

II. Sic Ei impossibile esse, ut non eligat praestantius, & necessario, non vero libere Eam

eligere quidquam. Reſpondetur autem: In ſe vi finita non eſt impoſſibile contrarium, ſed moraliter infinita vi tantum in ſapientiſſima & optima Voluntate, uti mentiri in ſe non habet repugnantia ſibi, ſed Summae Perfectioni: Hinc mentiri Deus nequit, quia alias non foret Deus, ſi mentiri poſſet & vellet. Nec inde ſequitur alia abſoluta neceſſitas, quam immunitatis ab omni defectu naturali & morali, ſeu quam Summae Perfectionis, Summique Boni eſſentialis.

III. Deus non indiget creatis rebus, ergo penes Ipſum fuit aequipollens potentia & ratio creandi & non creandi. Reſpondetur: Negamus conſequentiam. Potuit creare & non creare Deus; hoc verum eſt; ſed non ea de cauſſa voluit creare, quia aeque potuit & non potuit, ſed quia demonſtrare quam optime Gloriam Suam & Bona Sua impertire voluit, quotquot ſapientiſſime potuit, mundo.

§. CXII.

Voluntati hypotheticae eiusque decretis obſtare quidam dicunt I. mutabilitatem conditionis Summae Sapientiae adverſam. Reſpondetur autem, in Decreto Divino nihil mutari, etiamſi illud ſub conditione ſit factum, ſed omnem mutationem eſſe in rebus mutabilibus, circa quas decretum verſatur. Haec rerum finitarum mutabilitas adverſari decreto Dei nequit propterea,

quod hae res aliae & meliores in ſe eſſe nequeunt.

II. Effectus ſufflaminatos, qui impotentiam arguunt. Reſpondetur: Nec effectus illi ſufflaminantur, qui inſunt decreto, nec impotentia alia inde fluit, quam quae eſt rerum finitarum, aut ſaepe tantum potentiae vel neglectus vel abuſus.

III. Divinae Voluntati omnia ſubeſſe, omnesque conditiones, voluntatem ergo nullis determinari conditionibus, ſed abſolute velle, quidquid vult. Reſpondetur: Poſſibilia, qua talia, non pendent a Voluntate ſed Intellectu Infinito, perſpiciente, quaenam ſibi contradicunt, & quae non contradicunt, & inter plura aeque poſſibilia, quae jam ſint caeteris meliora, Deo digniora & in ſe perfectiora, e quibus optima eligit voluntas. Idem ergo valet de conditionibus vel vi impediendis vel permittendis in electo ſyſtemate mundi, quoad res libertate agendi inſtructas, & quoad conditionem uſus libertatis, ab eſſentia mentium inſeparabilis.

IV. Divinae Voluntati reſiſti non poſſe, *Rom.* IX, 19. eam igitur a nulla conditione ſuspendi, qua Illi reſiſteretur. Reſpondetur: Valent illa tantum de Voluntate abſoluta, qua Deus vult agere per ſe, non qua res creatas, quarum limi-

limites, infirmitas, impotentia & libertas agendi abesse ab illis non potuit, ideoque admittenda fuit, si deberet dari extra Deum, & agere, quod per illas fieri potest.

V. Si sub conditione futura semper ab aliis pendent conditionibus, dabitur in illis progressus in infinitum, qui est absurdus. Si vero Deus facit conditionem quamcunque, omnis pendet a voluntate Dei absoluta. Respondetur: Vti totus mundus in serie sua non potest esse nisi finitus, ita & conditionum series in mundo non nisi finita esse potest. Qua existentiam facit Deus aut permittit conditiones, non vero qua essentiam & qualitates ipsis proprias, quae pendent ab Intellectu fallinescio, quid illis positis sit inde proditurum, praesertim in mutabili mentium finitarum Voluntate.

VI. Decretum etsi conditione nitens immutabile tamen imponere rebus necessitatem absolutam. Respondetur: Neutiquam; sed hypotheticam tantum, quae salva libertate adesse debet, uti potest.

## §. CXIII.

Voluntatis Divinae divisioni in antecedentem & consequentem repugnare putant nonnulli I. Eius Vnitatem Infinitatemque, qua omnia simul vult, quaecunque vult. Respon-

detur vero: Non ratione temporis dicitur Voluntas Dei antecedens & consequens, sed natura rerum, quae obiectum sunt Voluntatis Divinae.

II. Eius perfectionem, qua velle quidquam nequit, nisi ob rationes prorsus sufficientes, quibus carere putant voluntatem antecedentem. Sed respondetur: Nequaquam antecedens Dei voluntas ratione sufficiente (incompleta quidquid vult) caret, sed deficiunt tantum res creatae in usu facultatum suffecturarum, aut in abusu earum, libere prava agendo.

III. Eius consensum, qui omnem respuit dissensum, vel contrariam voluntatem, qualis esse videtur ipsis antecedens & consequens, tanquam qua eadem voluntas idem & vult & non vult, verbi gratia, ut Judas proditor Christi salvus fiat & non fiat. Respondetur: Non in Deo, sed mente creata tum dantur contrariae volitiones ratione salutis, respuendo caussas medias illius a Deo sapienter ordinatas; uti pater filium morigerum vult fortunare voluntate constante optimaque, sed si degenerat, nec se corrigi patitur, eum juste exheredabit.

V. Voluntatem antecedentem esse irritam, quoties rescinditur, ut consequens locum habeat, ideoque Deo esse indignam. Responde-

tur: Hoc falſum eſt. Continet enim antecedens conſequentem, & cum illa eadem eſt in ſe, itaque nunquam irrita fit, ſed res mutabiles tantum illi obiectae differunt; utut omnibus ſubſidia ſuppeditentur, eadem omnibusque ſuffectura, quae libere amplectentes utique beantur; repudiantes vero nolunt beari, ideoque ſuae relinquuntur dementiae in libertatis abuſu, ut juſtas contemtus poenas luant.

## §. CXIV.

Bonitati Benignitatique Dei Infinitae oggeritur I. Quod Deus maximam hominum partem miſeriis aeternis adfligat. Reſpondetur vero, nunquam id fieri, niſi quum praefracte noluerunt meliora, ideoque ſummo merito ſuae culpae malitiaeque poenas luunt.

II. Bonitatem Dei non remunerari virtutem piorum, miſerrime ſaepe pereuntium. Reſpondetur: Datur remuneratio optima maximaque, demum poſt hanc vitam, cui par in hac vita dari nequit. Sufficiet ergo abunde aeterna remuneratio his, qui temporali non ſunt gaviſi.

III. Dei Beneficia eſſe libera, arbitraria & mutabilia; ergo Dei Bonitatem non eſſe eſſentialem. Reſpondetur: Ob res non niſi contingentes qua exiſtentiam alia eſſe non poſſunt be-

 neficia

neficia extra Deum conferenda. Attamen uti rebus finitis dedit essentiam, attributa viresque naturales, ita nunquam ipsum poenitet datorum ipsis horum donorum, quae bonitatem eius essentialem declarant. Mutabilia vero non sunt nisi in actu mutabili, modis & relationibus, optioni libertatis finitae relinquendis.

IV. Si omnia dat Bonitas Divina, quorum est capax res finita, nullos habet casus reservatos, in quibus adiicere alia & augere sua beneficia possit. Respondetur: Negatur connexio. Casus enim illi reservati jam insunt eidem decreto aeterno & captui rerum finito, modo conditio optima illis praescripta admittatur.

## §. CXV.

Contra justitiam Dei multi insurgunt I. quia, si illa Deo est aeque essentialis ac Benignitas, necessarii sunt peccatores, in quibus eam demonstret. Respondetur vero, distinguendum esse inter attributa Dei in se & inter eorum exercitium externum. Sic salva manet justitia, etiam ubi nemo delinquit, sed suum cuique tribuitur, vel bonum publicum bene procuratur: Sic & ab omni aeternitate Benignitas & Justitia Dei salva fuit, etsi nihil extra Ipsum esset, quo ostenderetur. Vindicans Justitia tum demum exercenda est, quum libere agentes neglecto officio suo peccare malunt, quam non peccare.

 Itaque

Itaque hoc exercitium non nisi hypothetice est necessarium, quum Justitia in se absolute necessaria sit in Deo.

II. Quia Deus habet jus absolutum in res a se creatas statuendi quidquid velit, sine iniustitiae ullius nota. Respondetur: Non facit Deus, quidquid potest, nec vult facere, nisi optimum factu, h. e. se, rebus & scopo mundi dignissimum, ergo & justitiae Maiestati consentaneum. Si urgetur praescripta immolatio Isaaci, *Genes.* XXII, 2. respondebitur: Habet Deus jus vitae & necis, idque sapientissime administrat. Noluit tamen in hoc casu necem Isaaci, quam idcirco efficaciter impedivit, sed tantum specimen Abrahami fidei & obedientiae edendum.

III. Naturalis poena & remuneratio non recte ita dicitur, quum utraque sit necessaria & naturae factique consequens naturale. Respondetur autem: Haec necessitas naturalis non est nisi hypothetica per sapientem Dei institutionem naturae rerum mutabilis. Arbitraria poena & miraculosa, addunt, non est nisi casus fatalis aut fortuitus. Respondetur: Nec fatum absolutum datur, nec casus re vera & in se fortuitus.

IV. Poenae Dei non obtinent finem, dum non abolent peccatum, nec corrigunt peccatorem.

rem. Reſpondetur: Obtinent utique finem ſuum, corrigendo corrigibiles, oſtendendo Gloriam Juſtitiae Infinitae, & dum peccata infinito merito condonantur, & dum aeternum puniuntur.

V. Poteſt Deus gratis condonare, uti nos jubet; ergo non opus eſt ſatisfactione. Reſpondetur: Illud eſt impotentiae & imbecillitatis humanae argumentum in Deum non quadrans: Qui Se & Sua jura abnegare aut non exercere nequit, nec impar eſt iis exſequendis. Poteſt quidem miſereri, cuius vult, ſed non vult niſi ſalva ſumma perfectione ſua; nec ſummum jus remittere, ut homo, poteſt, quamquam ſuum: Quia id nunquam exceſſum habet aequitatis, ut humanum, nec brutam neceſſitatem, ſed moralem tantum, eamque ſapientiſſimam, ut agnoſcatur, eadem erga omnes & ſingulos uti bonitate. Satisfactio eſt impletio legis & luitio poenae promeritae per eius transgreſſionem. Condonare debemus offenſas & veniam dare, omittendo vindictae privatae cupidinem ex odio oriundam, quae ex alterius taediis voluptatem capit illicitam. Ante mundum juſtitia Dei nullum punivit? Reſpondetur: Quia nullus tum fuit aut peccavit.

VI. Deus non eſt miſericors, ſi pro omni offenſione ſatisfactionem exigit. Reſpondetur:

Par

Par misericordiae Dei est Justitia Divina, neutra alteri officit, nec ideo inclementiam ullam parit vel conniventiam. Est & manet misericors, erga quoscunque salva justitia esse potest.

VII. In Deum non cadit ira, ergo nec opus est irae placatione. Respondetur: Si pro adfectu ira sumitur, conceditur antecedens; negatur autem, si pro justitiae vindicis administratione sumitur, boni publici causa.

## §. CXVI.

Potentiam Deo non recte tribui, existimant nonnulli I. quia per infinitatem omnia actu habet, quae habere potest. Talem vero non esse nudam potentiam, v. g. plures mundos condendi. Respondetur: Distinguimus inter potentiam & eius exercitium. Illam Deus habet infinitam actu ab omni aeternitate in omnem aeternitatem. Hoc vero ratione rerum internarum omnia simul praestat Infinitas in Deo. Sed ratione externarum finitarumque rerum idem fieri nequit ob harum rerum indolem finitam tantum nec necessariam existentiam. Quare sufficit, si in electo mundo omnia praestat, quae illam Omnipotentiam indubie demonstrant, quod fit, dum mundum optimum maximumque creavit, conservat gubernatque.

II. Si plura Deus cognoscit, quam efficere per Suam Potentiam potest, maior erit Eius Scientia quam Potentia, quod absonum est. Respon-

ſpondetur: Negamus conſequentiam. Scit Deus omnia in quovis mundo poſſibilia, ergo & poſſibilitatem omnium neſcire nequit, ſalva omniſcientia. Poteſt igitur omnia quoque facere, quae novit eſſe poſſe extra ſe; ſed uti ſe decet, illam exercet potentiam. Nam exiſtentia rerum finitarum nequit, uti eſſentia, eſſe aeterna; de hac ergo ſtatuendum eſt, quod Summae convenit Sapientiae, optimumque factu eſt.

III. Deus facere nequit impoſſibilia, quae tamen cognoſcit, neque peccata, ergo non omnia eius potentiae ſubſunt. Reſpondetur: Impoſſibilia & peccata velle, non potentiae, ſed impotentiae argumentum eſſet, & ſi ea facere poſſet, non poſſet eſſe Deus, Infinitaeque perfectionis.

IV. Creatio non eſt ſpecimen infinitae Potentiae: quia & accidentia hominis e nihilo incipiunt exiſtere per vires finitas. Reſpondetur: Accidentia tantum ineſſe poſſunt, non vero exiſtere per ſe, uti creatio eſt ſubſtantiarum per ſe exiſtentium e nihilo facta productio. Accidentia neceſſaria non pendent ab ulla vi finita, ſed debentur eſſentiae a Deo conſtituendae; mutabilia vero accidentia & modi limitationum & defectuum indices ſunt. Nec actiones proprie e nihilo producuntur, ſed e vi ſubſtantiae a Deo e nihilo factae & continuante ſuum opus & concurrente.

V. Mi-

V. Miracula negant ſubeſſe potentiae divinae: quia adverſantur operibus & Voluntati Dei ordinariae. Reſpondetur: Videntur quidem miracula adverſari ordinariae Dei Voluntati, ſed re vera non adverſantur, verum inſunt decreto mundi gubernandi, & magis perficiunt opera Dei ordinaria, & liberant depravatione per res creatas facta extra ordinem. Neque ſunt miracula effectus minores naturalibus, ſed pariter Infinitam Dei vim ac illa oſtendunt.

## §. CXVII.

Summam Dei Beatitudinem male interpretantur I. qui putant, eam inferre vanam delectationem e ſuis perfectionibus; quae dari nequit, niſi in imaginariis tantum, vel fruſtra maioris, quam ſunt, factis bonis, vel dependentibus ab alio ſibi vindicatis ineptam immeritamque voluptatem fingas. Vel II. arbitrantur, eam ideo in Deo dari non poſſe, quia Illi innumera infinite diſplicentia ſemper occurrunt in peccatis rerum creatarum.

Prior obiectio vel ideo locum hic non habet, quia abſolute ſumma perfectio nihil imaginarii, nihil temere arrogati, nihil dependens continere poteſt, ſed ſinceram infinitamque voluptatem veram includit. Secundo reſpondetur: α) Quae hominibus in aliis diſplicent, ea ipſos quodam bono privant, quo alias erant gaviſuri;

viſuri; aut praeripiunt futurum. Talis in Deum cadere nequit moleſtia; β) quae Deo ita diſplicent, ea non ſunt in Ipſo, ſed in peccatoribus, nec ideo quidquam Perfectionum Divinarum ullatenus minuere poſſunt. Sane aliena mala ne inſontem quidem hominem adficere aut aegritudinem ei creare poſſunt, niſi quatenus ſe ſimilibus obnoxium fieri poſſe putat, aut imparem ſe ſentit illis a ſe avertendis, vel in ſe quodam modo redundaturis malis. Diſplicentia in re finita cum adfectu turbulento coniuncta taedio eſſe poteſt, non autem quae in ſumma animi ſerenitate & tranquillitate haud quaquam turbanda oritur, & undique ſatis munita eſt, ſumma omnia infinita quaeque, nec mutabilia unquam poſſidendo.

## §. CXVIII.

Providentiae Divinae mala & peccata permittenti male obvertitur I. non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona. Deus enim non facit mala, nempe moralia, ſed peccatores, qui debebant, uti poterant, rectius agere. Quidquid Deus agit permittendo illa peccata, non ſolum bonum eſt, ſed & melius contrario quovis. Ideoque adhuc reſpondet hic mundus conſilio Dei valde bono.

II. Providentiam ſpecialem & ſingularem repugnare generali, quum haec minus bene

quam

quam illa consulat rebus creatis, & specialis magis faveat aliis, aliis minus. Respondetur vero: Non potest non unaquaeque mens, res quaeque, & unusquisque homo differre in tota actualitatis suae serie, nec nisi Deus novit, quid cuilibet plurimum expediat. Ergo cupit & consulit Deus cuique rei creatae, quam optime fieri potest, modo ea velit legibus Summae Sapientiae obtemperare. Si enim deteriora facta praefert melioribus, imputet id sibimet ipsi.

III. Bonis saepe male est in mundo, & sceleratis bene feliciterque omnia succedunt. Respondemus autem: Multa videntur bona & mala esse, quae non sunt; male existimatur, aliter melius saluti hominis consuli potuisse, quam re vera fit. Ad hoc enim perspiciendum Omniscientia opus est, quam nemo sibi arrogare potest. Denique non huius vitae terminis inclusa est felicitas humana, sed superest immortalitas, vitaque aeterna, in qua id patefiat, quod in hoc saeculo manifestari & absolvi nondum potuit. Conf. *Seneca*, *de Providentia*, caute tamen intelligendus, & ab erroribus suis liberandus. Meliora dedit summum Venerabilis mihique amicissimus D. *Sam. Joach. Weickhmannus* in Diss.

## §. CXIX.

Eorum, qui Deum esse, certum habent, non erit quisquam, qui negare ausit, posse Deum voluntatem suam in illis, quae mentes finitae naturaliter cognoscere nequeunt, & tamen illu-

ſtrandae gloriae eius infinitae cauſa noſſe debent, ſupernaturali modo patefacere, ſive revelare, ſi velit. Agnoſcit enim per ſe, ſuae mentis eam eſſe poteſtatem, ut cogitata ſua aliis naturali & finito modo manifeſtare poſſit, quando vult, ut illa non neſciant, ſed ſecundum illa agant. Procul omni dubio igitur neceſſe eſt, ut infinita mens idem multo melius perfectiusque praeſtare poſſit, modo id ipſum velit. Divinam quoque revelationem hominibus multo utiliorem fore, quam ulla & omnis eſſe poteſt humana revelatio veritatum ſalutarium a Deo hominibus iniuncta, ſumma & infinita cogitatorum, ſcitorum & decretorum divinorum excellentia neminem ambigere ſinit. Indubia igitur eſt revelationis divinae poſſibilitas utilitasque ſumma. Porro nullum dubium eſt, quin ſumma Dei Benignitas erga genus humanum (§ CXIV.) & providentia ſingularis & generalis (§. CXVIII.) omne id bonum conferre & largiri lubenter & quam optime velit, prout poteſt, & hominibus praecepit. Non audiendi ergo ſunt, qui contendere vellent, ideo moraliter non poſſe Deum hominibus revelationem ſuam indulgere, quia per peccata ſe illa indignos fecere, eaque ad varia peccata, in ea neganda, male interpretanda, & in vitia ſua trahenda, abuſuros eſſe non potuit non praeſcire. Idem enim & creationi & conſervationi generis humani eadem inanitate obverti poſſet; quum & per utramque datorum beneficiorum nihil meruerint homines ad unum

omnes,

omnes, eorumque fructu ſe pariter indignos praeſtent, nec abuti illis donis ceſſent. Sapientiae enim ſummae eſt, genuinum uſum bonorum datorum quam optime procurare, etiamſi abuſus quidam ſit futurus, qui ſatis & recte coerceri & puniri in illis poſſit, qui nihilominus eius ſe reos fecere.

§. CXX.

Veriſimile quoque & admodum credibile eſt, genuinam dari revelationem divinam, eamque eſſe in ſacris litteris comprehenſam. Eſt enim in ſe omnino poſſibilis, nec poteſt eſſe niſi utiliſſima generi humano (§. CXIX.) Eſt conformis ſcopo divino creationis per conſervationem continuatae, aeterno & immutabili decreto praefixo. Conditi nempe ſunt homines & conſervantur ac gubernantur ſapientiſſime, cum ad gloriam infinitae maieſtatis propalandam illuſtrandamque perpetua ipſorum vita, tum ad perfectionem, felicitatem, beatitudinemque huius & futurae tantam, quantae ſunt capaces & fieri poſſunt participes ſalva Dei infinita Maieſtate. Enimvero quum Deus infinita gaudeat ſcientia, ſapientia, benignitate & miſericordia, qua miſeris quoque ſuccurrere uti poteſt, ita & cupit lubenter, uti vult, ut ab hominibus, quantum fieri poteſt, aliis ſubveniatur: ſumma datur nobis ſpes & fiducia, Deum quoque perſpectum habere ut caeteros omnes, ita & optimum elegiſſe modum, ſalva infinita juſtitia, hominibus gratiam delictorum faciendi, eosque ſibi reconcilian-

ciliandi, qui amplecti & ſuum facere tantum beneficium velint, ut & in his infinito ſit & optimo exemplo. Quod remedium quum homines neſciant, nec poſſint non neſcire finito ſuo intellectu, quale ſit, & quali modo eius optime participes fieri poſſint, niſi Deus hoc illis revelet: utique per immutabile Dei decretum homines, quam optime fieri poſſit, beandi aeternaque ſalute donandi in optimo rerum huius univerſitatis nexu, non ſpes tantum admodum probabilis, ſed fiducia quoque nobis datur, exſtare omnino & patefactam hominibus eſſe eiusmodi revelationem divinam. Vnde ſequitur, omni ſtudio, ea ubi exſtet, eſſe ſcrutandum.

Jam ex notis genuinae revelationis divinae, in Theologia naturali evictis, diſcerni illa ab omni ſpuria & commentitia poteſt. Quas ſi rite applicamus ad omnia, quae in noſtra ſacra Scriptura indubia continentur, deprehendimus illam cum omnibus, quae illi inſunt, eſſe Deo digniſſimam, iisque munitam documentis authenticae Maieſtatis divinae, vaticiniis & miraculis, cuiusmodi in nulla alia pro oraculis divinis venditata doctrina, ſeu ore ſeu ſcripto tradita, occurrunt, & quibus univerſe meliora, ſubliminiora, rectiora & ſanctiora a nemine effingi poſſunt. Refutationem autem dubiorum ſpecialium & ſingulorum adverſus illas genuinas ſacras litteras omnino interpretibus doctoribusque earum integram reſervamus. Conf. Cel. *Hollmanni Liber de Deo & Scriptura ſacra* p. 288.

§. CXXI.

§. CXXI.

Procul dubio errant, qui exiſtimant, poſſe Deum principiis rationis indubiis contraria revelare, aut revelaſſe actu. Abſurde enim ſibi ipſi adverſari & contradicere ita fingeretur, quod ne quidem de homine ſapiente cogitare aut ſtatuere fas eſt, quamdiu id demonſtrari nequit. Quum Deus nihil ignorare, nec errare poſſit, nunquam talia in Ipſum cadere aut de Illo demonſtrari poſſunt. Revelari quidem ab infinita ſcientia poſſunt, quae captum finitum aut omnino aut in certo ſtatu transſcendunt ita, ut quomodo & cur ſic nec aliter ſtatuta ſint, comprehendere nequeat: quum & a Regibus, ſummisque Eruditis, v. c. profundis Mathematicis, quaedam proferri & fieri poſſint, quae plerique per multa ſaecula vix aſſequantur. Quae transſcendunt captum rationis finitae, ſupra illam eſſe dicuntur, quatenus ab ea comprehendi nequeunt; non vero contra eandem eſſe. Quae enim contra eandem ſunt, ea penitus repugnare debent immotis rationis ſanae principiis, e. g. huic: totum eſt maius qualibet aut quadam ſui parte; aut: ſi aequalibus aequalia addas, erunt & ſummae aequales, &c. Ad ſummum quod ſupra rationem finitam eſt, tantum videtur ipſi non eſſe conforme, vel non patet eius imbecillitati modus, quo eidem conveniat congruatque. Id quod eo minus mirum eſt, quum ſaepe humana opera & artificia ſic comparata ſint, ut pauciſſimi & vix ulli comprehendant, quomodo facta ſint, aut fieri potuerint, & multae artes perditae cenſeantur, aliae necdum detectae ſint.

§. CXXII.

Ex eo, quod finiti ad infinitum nulla est proportio communioque, inferri nequit, naturam humanam & divinam uniri non posse, ut una fiat persona modo Deum decente. Vniuntur certe in quovis homine sive humana persona substantiae diversissimae, mens & corpus, ut cuique maneat, quod suum est, idiomata tamen communicentur sic, ut homo dicatur intelligere, velle, ratiocinari, loqui, mori, nasci, &c. Praeterea non homo tantum omnis, sed & quaelibet res creata non existit subsistitque vi propria finita, sed vi Dei infinita, quae est natura divina. Si haec communia in finita essentia, natura & persona unica dari nequeunt, nisi ope naturae divinae, quidni & peculiaria divina, nec ulli alii communia dona pariter cum humana quadam natura in unicam coalescant personam? Quidni & singularis finis, aliter haud obtinendus, saltem non melius obtinendus, maiorem multo & arctiorem admittat humanae & divinae naturae, benevolentiae & misericordiae filii Dei unionem in unam redemtoris generis humani personam? Nihil certe repugnantiae hic a quoquam evinci potest. Qua data naturarum unione, sponte sua sequitur & abesse nequit necessaria ad scopum & optima communio & communicatio idiomamatum seu proprietatum, eidem personae tribuenda, nec a quoquam deneganda.

I
Hanov.

Philae
1765.

II
Dommerich
Anemon
1765.